- Digitalisierte Fassung im Format PDF -

De Lunariis herbis, et rebus noctu Lucentibus, Commentariolus.

Conrad Gesner

Die Digitalisierung dieses Werkes erfolgte im Rahmen des Projektes BioLib (www.BioLib.de).

Die Bilddateien wurden im Rahmen des Projektes Virtuelle Fachbibliothek Biologie (ViFaBio) durch die Universitätsbibliothek Johann Christian Senckenberg (Frankfurt am Main) in das Format PDF überführt, archiviert und zugänglich gemacht.

CONRADI GESNERI MEDICI,

De

Raris & admirandis Herbis, qvæ, ſive qvòd noctu luceant, ſive alias ob cauſas, LUNARIÆ nominantur, & obiter de aliis etiam rebus, qvæ in tenebris lucent,

Commentariolus.

Editione hac ſecunda emendatior.

Cum Iconibus qvibusdam Herbarum novis.

HAFNIÆ,
Typis MATTHIÆ GODICCHENII,
Impenſis PETRI HAUBOLDI,
Regiæ Academiæ Bibliopolæ.
ANNO M. DC. LXIX.

N 10
33

TH. BARTHOLINUS
L. S.

CUm in eo eſſet Bibliopola noſter, ut Libros meos de Luce Animantium emendatiores auctioresqve ex officinâ ſuâ proferret, autor illi fui, ut, ob argumenti affinitatem, Conradi Gesneri Viri Clariſſimi de Lunariis Commentariolum, curioſum prorſus, diuqve Doctis deſideratum adjungeret, qvi, Tiguri Anno Chr. 1555. in formâ qvartâ, apud Gesneros fratres excuſus, inter Opera Gesneri haud invenitur. Gratiam me iſto conſilio à curioſis Naturæ lucentis fautoribus initurum ſpero, etiam Autoris gratiâ, qvo nemo plura à Naturâ Naturæqve amatoribus meruit. Vale. Hafniæ XIV. Decembr. 1668.

Con-

IV.2357

CONRADI GESNERI, DE LUNARIIS HERBIS, ET REBUS NOCTU LUCENTIBUS, COMMENTARIOLUS.

LUNARIAM, qvam recentiores monſtroſè deſcribunt, & noctu lucere ajunt, herbam videri fictitiam.

MOnſtroſâ Lunariæ deſcriptione, qvalem in progreſſu afferemus, videri poſſunt aliqvi homines ſtultos & avaros deludere, ac vanâ ſpe lactatos ad inqvirendum fruſtrà incitare voluiſſe. Sic Virgilius etiam in Palæmone Eclogâ tertiâ his verſibus:

Dic, qvibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat Cœli ſpatium non amplius ulnas;

Grammaticis veluti crucem fixiſſe, in qvâ ſe aſſiduè diſtorqverent, exiſtimatur: qvod ipſe Cornificio, & aliis qvibusdam Grammaticis reſpondit, cum anxiè illi à Poëtâ perqvirerent, ſi qvid fortè remotius ſubeſſet. Talis & Promethei herbæ in Argonauticis Apollonii deſcriptio eſt, natæ (ut nugatur) ex ſanguine aqvilæ illius, qvæ Promethei jecur exedit; flore cubitali, (vel cubito à terrâ diſtante,) croceo, & geminis innixo caulibus, radice ſucco ſanguineo manante. Scholiaſtes Poëtam hæc comminiſci ait, nec ab ullo Rhizotomo talem deſcribi ſtirpem.

Fieri poſſe, ut, qvemadmodum inter cæteras res naturales qvædam noctu tantùm lucent, ita etiam herbæ, qvanqvam nobis adhuc incognitæ, per noctem luceant.

LUcem qvandam eſſe, qvæ noctu duntaxat luceat, non igneæ qvidem illam naturæ, (neqve enim diu durare poſſet,) ſed mitioris cujusdam, & materiam, in qva eſt, non conſumentis, in multis tum naturæ, tum artis operibus apparet. Illa qvidem, qvæ in ſublimi aëre noctu aliqvando relucent, ſive revera, ſive videantur tantùm, his annumeranda non ſunt, cùm vel igneâ vi conſtent, & eva-

& evaneſcant, alia ſubitò, alia paulatim: Vel lucem in ſe veram non habeant, ſed radiorum refractione duntaxat habere videantur. Placidæ verò illius mitisqve lucis, non igneæ, ſed æthereæ potiùs, particulas qvasdam continent fortaſſis & gemmæ qvædam, & plantæ, & animalia, & nonnulla artis opera, ut dicemus.

Ariſtoteles libro 2. de anima cap. 7. Non omnia (inqvit) qvæ videntur, in lumine videntur, ſed uniuscujusqve duntaxat proprius color. Nonnulla enim, cum in luce cerni non poſſint, in tenebris poſſunt, ut qvæ ignea apparent, ac ſplendent. Ea qvidem nomine communi carent, ut ſunt fungus, cornu, piſcium capita, ſquamæ & oculi. Sed nullius horum proprius color videtur, (*noctu cùm lucent*,) & qvam ob cauſam hæc viſu uſurpentur, alia ratio eſt. Hunc locum interpretans Ammonius, viſibilium differentiam duplicem ſtatuit. Genus primum colores nominat, qvi, niſi interdiu, videri neqveant. Alterum nomine communi ait carere; poſſe autem appellari ſplendida. Horum rurſus qvædam ait parum & obſcurè ſplendere, ut ſunt pygolampides, ſquamæ, & alia hujusmodi, & ſtellæ pleræqve; atqve hæc noctu

tantùm conſpectari, hoc eſt, ſplendorem eorum, non etiam colores. Brevior enim obſcuriorqve ipſorum lux eſt, qvàm qvæ ad noſtrum usqve viſum colorem etiam figuramqve corporis transvehere poſſit. Alia verò ſplendidiora ſunt, qvæ nocte pariter & die conſpiciuntur, ut Luna & ſtellæ qvædam, præſertim Veſper terræ propior, & ignis. Cæterùm Sol, qvi omnia ſuo ſplendore excedit, nocte cum abſit, videri non poteſt: ſed neqve per diem rectè, & ut cætera viſibilia, tantam in eo lucem acie noſtrâ non ſuſtinente. Vel, ut Ammonius inqvit, non propriè in die Sol videri dicitur, cùm diem ipſe pariat; neqve in nocte & tenebris, qvas, ubicunqve eſt, abolet. Hæc ferè ille.

Qvædam in lumine videntur, (inqvit Hieronymus Savonarola,) ut colorata, & in tenebris, ut lucentia. Nam interdiu majus lumen offuſcat minus, & tum videntur ſolùm ut colorata; in nocte autem ut lucentia ſolùm, cujusmodi ſunt parva animalia, qvæ noctilucæ vocantur. Ignis verò tam in tenebris, qvam in luce eodem modo videtur, qvia lumen ejus eſt efficax ad movendum diaphanum.

Soſi-

Soſigenes Alexandri Præceptor tertio volumine de viſu, [*referente Cælio Rhodigino Lectionum Antiqvarum lib.* 15. *cap.* 5.] rationem afferre conatus eſt, qvamobrem aliqva collucere in tenebris videantur. Flammulenta (inqvit) hæc qvadantenus naturam ætheris & qvinti elementi participant, eâ cognatione fieri, ut admotum ſibi aërem, aut perſpicuum aliud corpus illuminent. Qvòd autem id maximè noctibus faciant, rationem eſſe, qvia tum majus lumen abſit. Alioqvi evenire interdiu, ut exiguum eorum lumen qvaſi exoleſcat, & offundatur in magno. Noctu ergo cùm refulgent, aërem proximum & circumfuſum leviter ſubluſtrant, non ita, ut alia item poſſent videri, ſed ut ſola ſe vendicent à tenebris. Atqve hoc facit exilitas portionis ejus, è qva proficiſcitur manatqve lumen. Nam & ipſe qvoqve ignis, qvamvis ſplendorem ſuum latius & diffuſius mittat, adeò ut aſſerat etiam alia; tamen ſi remotior ſit, caligant oculi in cætera, ipſe ad conſpectum ſui vix ſufficit.

Lapilli, noctu lucentis inſtar flammæ, qvem in Heracleidis mulieris Tarentinæ ſinum ciconia dejecerit, beneficii mercedem, qvòd crure fracto ex lapſu anno ſuperiore ab eâ cu-

rata fuiſſet, meminit Ælianus de animalibus lib. 8. cap. 21.

Solaris eſt lapis, qvi Solis oculus appellatur, figuram habens pupillæ, ex qva lumen emicat; item carbunculus nocte rutilans, ut ſcribit Marſilius Ficinus. Lucerna piſcis marinus, qvi & milvus, nomen tulit, qvòd noctu luceat. Ego ejus mortui etiam oculos noctu in tenebris lucere obſervavi. Recentiores qvidam harengæ etiam vulgò dicti piſcis oculos noctu lucidos eſſe tradunt. Sed hoc pluribus forſan piſcibus commune eſt. Oppianus lib. 2. Halieutic. de delphinis:

—— φλογέου τε σέλας πέμπουσιν ὀπωπαῖς
ὀξύτατον· καί πού τιν' ὑποπλήσσοντα χαράδραις,
Καί τιν' ὑπὸ ψαμάθοις εἰλημένον ἔδρακον ἰχθῦν.

Latè patet id piſcium genus, qvod à cute noctu ſplendente Græci vocant σελάχη. Eorum alii longi ſunt, ut muſtelli & canes; alii verò lati.

Qvòd animalium nonnullorum oculi noctu mirè ſint efficaces; interdiu autem hebetiores, id obvenire Plutarchus arbitratur humoris ſiccitate ac tenuitate, non ferentis τὴν πρὸς τὸ φῶς σύγκρασιν. Cælius Rhodiginus.

ginus. Ex iis ſanè, qvæ noctu etiam cernunt, animalibus, nonnullorum oculi noctu lucent ac micant, ceu felium; qvòd in iis fortè talis qvidam humor ſit, qvalis in vermibus noctilucis, cujus gratiâ videre poſſunt, non tamen remota, ſed proxima qvæq; tantùm. Atq; hinc conjicimus, interdiu qvidem videndi facultatis rationem in omnibus eandem eſſe, imaginibus rerum per lumen & diaphanum externum ad oculos relatis, noctu verò non eandem; qvum illa, qvæ noctu vident, qvorumq; oculi lucent, non foris tum recipiant lumen, ſed ex ſeſe emittant, ut viſibilia actu videantur. Cernunt autem noctu, qvæ noctuæ dicuntur, & ſimiles nocturnæ aves; & in qvadrupedum genere lupi, capræ, feles.

Volucris eſt, raro tamen, in Hercyniâ apparens. Sunt, qvi ſe vidiſſe jactent. Pennæ ejus noctu, ut ignis, lucent. Meminit Plinius. Pictam vidit Jo. Aventinus. Nos plura de eâ in Avium Hiſtoriâ.

De nocturno luporum viſu meminit Ælianus de animalib. lib. 10. cap. 26. Hyænam qvoq; noctu cernere, non deſunt authores: & vulgò eqvi, qvorum glauci (vitreos noſtri dicunt,) fuerint oculi, nocturnâ inſignes viſus acie creduntur. Capræ oculos in tene-

bris ſplendere, lucemq; jaculari, author eſt Plinius. Conditos in homine oculos (inqvit idem) clarisſimè cernere putant, ſicut in colore caprinos. Gaza ex Ariſtotele, qvem ille αἰγωπὸν colorem dixerat, caprinum tranſtulit: vocat eundem οἰνωπὸν in Phyſiognomicis. Nos de his, aliisq; coloribus plura in Libello, qvem privatim de coloribus meditamur.

Pygolampis, qvam Latinorum aliqvi cicindelam vel nitedulam vocant, Itali biſſola fuogola vel luſarvola, genus eſt inſecti vaginipennis exigui, ut audio, (neq; enim videre memini,) qvod noctu lucet. Apud nos verò vermis eſt, erucæ ſimilis, qvi eadem parte noctu fulgorem tam clarum emittit, ut ad illum etiam literæ majuſculæ legi poſſint.

Hæc igitur naturæ ſunt opera. Supereſt, ut arte etiam ſplendores nocturnos ex hujusmodi igne æthereo fieri poſſe oſtendatur; qvod recitandâ hiſtoriâ præſtabo. Patavii in Italiâ noſtro ſeculo repertum eſt monumentum vetuſtiſſimum, nempe urna fictilis cum inſcriptione hujus Hexaſtichi:

Plutoni ſacrum munus ne attingite fures,
Ignotum eſt vobis hoc, qvod in urna latet.
Namq; elementa gravi clauſit digeſta labore
Vaſe ſub hoc modico Maximus Olibius.

Adſit

Adſit fœcundo cuſtos ſibi copia cornu,
Ne pretium tanti depereat laticis.

Intra hanc urnam erat altera urnula, inſcripta: Maxumus maxumo Plutoni hoc ſacrum facit. Rurſus intra hanc urnulam reperta eſt lucerna adhuc ardens intra duas ampullas, alteram ex auro, alteram ex argento, puriſſimo liqvore qvodam plenas, cujus virtute creditur per multos annos lucernam hanc arſiſſe. Authores ſunt, poſt Hermolaum Barbarum, Petrus Apianus, & Bartolemæus Amantius. Eſt & cœleſtis aqva, (inqvit Hermolaus,) ſive potiùs divina Chymiſtarum, qvam & Democritus, & Mercurius Trismegiſtus novêre, modò divinam aqvam, modò Scythicum laticem appellantes, modò pneuma, hoc eſt, ſpiritum ex ætheris naturâ, & esſentiâ rerum qvintâ: unde aurum poculentum, & jactatus ille, necdum inventus Philoſophorum lapis. Hoc genus laticis, ut arbitror, ſignificat Epigramma nuperrimè in agro Patavino juxta oppidulũ Ateſtæ inventum &c.

Qvòd ſi qvæ herbæ noctu lucent, vel radiis Lunæ ad aliqvam in eis lævem, ac ſplendidam ſpeculi inſtar partem refractis lucebunt, ſicuti etiam Meteora qvædam, qvæ vel die inter nubes, ut irides, parelii, areæ; vel noctu in ſummo

ſummo & igneæ naturæ aëre ſpectantur, ut hiatus, foveæ & colores ſangvinei. Aut ita lucebunt, ut ſquamæ vel oculi piſcium, ut ligna putrida, & hujusmodi vehementer ſicca, & ut pygolampides, hoc eſt, luce aliqvâ ipſis propriâ, non igneâ tamen illâ, nec æſtuante. Fieri poteſt etiam, ut non ipſæ herbæ luceant, ſed, qvi circa ipſas eſt, aër, aut potiùs vapor, ſive proprius qvibusdam locis, ſive ab herbis illis exhalans, ſive tanqvam alimentum, aut aliter ab eis attractus. Facile enim halitus qvidam craſſiuſculi, & pingves, vel bituminoſi accendi poſſunt, in regionibus præſertim & temporibus calidis, qvi propter tenuitatem, & nocte tantùm ardere videantur, & herbis ipſis eandem ob cauſam nihil officiant; Nam tenuiſſimus ignis minimum, aut nihil urit. Hujusmodi ignes legimus noctu in variis locis interdum apparere, præſertim verò circa templa & cœmeteria, ubi ex defunctorum corporibus multi pingvesq; halitus prodeunt, qvos vulgus conſpectos reformidat, dæmones qvosdam vel manes exiſtimans, idq; eò magis, qvòd afflatus ex eis ſæpe ſint noxii; ſed noxam in halitus hujusmodi putrefacti naturam rejicere convenit, qvam timor etiam auget. Apud nos, ubi zetarum vel hypocauſtorum

(ut

(ut vulgò impropriè nominant,) uſus eſt, multis contingit, poſtqvam ad fornacem ampliùs incaluerunt, ut mox in cubiculum egreſſi frigidum, dum induſium exuunt, aut movent & concutiunt exutum, flammam inde & videant, & crepitantem audiant. Concipiunt nimirum interiores veſtes fumos & exhalationes corporum, easq; pingves, qvæ & faciliùs retinentur, (hyeme præſertim denſis & multis veſtibus,) & inflammari idoneæ ſunt. Hæ deinde jam actu calidæ, & in frigido loco commotæ, cum in frigidum aërem diſpergi nolint, magisq; uniantur per antiperiſtaſin, motu accedente ardent; motus enim res plerasq; è potentiâ in actum producit. Sic pili eqvorum in ſtabulis, dum ſtrigile raduntur, igneum aliqvando ſplendorem reddunt, & felium, qvæ ad fornaces, vel ignem incaluêre, ſi manu adversâ pertrectentur.

De Stellis Caſtoribus.

EXiſtunt ſtellæ (inqvit Plinius [*de Hiſtoria Mundi lib. 2. cap. 37.*]) & in mari terrisqve. Vidi nocturnis militum vigiliis, inhærere pilis pro vallo fulgorem effigie eâ, (*id eſt, effigie ſtellæ:*) Et antennis navigantium, aliisqve navium partibus, ceu vocali qvodam ſono,

ſono, (*impropriè vocalem ſonum dicit, qvem volaturæ aut volantes aves ſuis alis reddunt,*) inſiſtunt, ut volucres ſedem ex ſede mutantes; graves, cùm ſolitariæ venêre, mergentesqve navigia, &, ſi in carinæ ima deciderint, exurentes. Geminæ autem ſalutares, & proſperi curſus prænunciæ, qvarum adventu fugari diram illam ac minacem, appellatamq́ve Helenam ferunt. Et ob id Polluci & Caſtori id numen aſſignant, eosq́ve in mari Deos invocant. Hominum qvoqve capita veſpertinis horis magno præſagio circumfulgent. Omnia incerta ratione, & in naturæ majeſtate abdita. Hæc ille. Qvibus & Jacobi Milichii ex Commentariis verba adſcribam: Græci hoc Meteoron πολυδεύκεα, (*fortè πολυδεύκεας, multitudinis enim numero duos fratres aliàs Polydeuceas, aliàs Caſtores nominant,*) vocant, Latini Caſtorem & Pollucem, recentiores ignem præcedentem & ſeqventem. Fit autem hic ignis in infimâ aëris regione ex fumo pinguiore ac inflammabili, qvi frigiditate aëris nocturni cogitur atqve denſatur. Incenditur autem ex concurſu duarum contrariarum qvalitatum, qvæ inter ſe pugnant; vapor enim calidus eſt, & aër nocturnus frigidus. Concurrunt autem tantisper, donec

hac

hac agitatione vapor incendatur. Figitur autem pilis, antennisve navium propter ejus gravitatem, ubi tantisper hæret, donec incendii materia fuerit abſumpta. Hæc Milichius. Qvòd ſi (ut ipſe opinor, & eruditorum pleriqve,) per antiperiſtaſin hæ flammæ ardent, non ex concurſu duarum qvalitatum eas oriri propriè dicemus; neqve enim inter ſeſe utrinqve obviæ tanqvam aperto Marte concurrunt, ſed fugit ceditqve intra ſe altera, minus minusqve loci ſubinde occupans, urgente undiqvaqve & obſidente eam foris alterâ, tanqvam hoſte. Sic erinaceus non concurrit cum vulpe, qvòd ſe infirmiorem ſentiat, ſed in globum contractus ſuis munitur aculeis. Et exhalatio incluſa ſuâ jam denſitudine tutior eſt. Inflammatur verò motu externo, ut ferrum impulſum ad ſilicem, licet qvieſcentem, ſcintillas elicit.

Scio, Laur. Vallam reprehendere Ariſtotelem, qvi motum calfacere & incendere dixerit, qvem ipſe refrigerationis potiùs cauſam eſſe arbitratur. Sed hac de re diſſerendi argumentum noſtro inſtituto non convenit, etiamſi contra Vallam, Virum qvidem bonum & eruditum, ſed Literatorem potiùs, qvàm Philoſophum, multas firmasqve ratio-

nes

nes afferre poſſem. Hoc in præſentiâ cum Ariſtotele dixerim, *ὅτι ἡ κίνησις φύσει ἐκστατικόν*, hoc eſt, motionis omnis eam eſſe naturam, ut rem, qvæ movetur, è ſtatu priſtino dimoveat ac deturbet. Itaqve calida refrigerat, frigida calefacit, & ea, qvæ potentiâ erant, plerumqve (ſi nihil impediat, & naturalis, non violentus ſit motus,) in actum & perfectionem ſuam deducit; exhalationis autem calidæ ſiccæqve actus & perfectio eſt ignis. Ad Caſtores (ſive mavis Polluces) redeo, qvorum & Seneca [*Natural. Qvæſtionum lib.* I. *cap.* I.] meminit, cum ait: In magna tempeſtate apparent qvaſi ſtellæ velo inſidentes; adjuvari ſe tunc periclitantes exiſtimant Pollucis & Caſtoris numine. Cauſa autem melioris ſpei eſt, qvòd jam apparet, frangi tempeſtatem, & deſinere ventos. Aliqvando non feruntur ignes, ſed ſedent. Gylippo, Syracuſas petenti, viſa eſt ſtella ſuper ipſam lanceam conſtitiſſe. In Romanorum caſtris viſa ſunt ardere pila, ignibus ſcilicet in illa delapſis, qvi ſæpe fulminum modo animalia ferire ſolent, & arbuſta, & ſi minore vi mittantur, defluunt tantùm & inſidunt, non feriunt, nec vulnerant. Meminit & Propertius, cum ait:

Cer-

Cernere, & optatos qværere Tyndaridas.
Candida felici ſolvite vela toro.

Dixit autem felici toro, qvia ſolitarius hic ignis exitialis eſt, & appellatur Helena. Plutarchus in vita Lyſandri ait, Caſtorem & Pollucem in Lyſandri nave utraqve ex parte extitiſſe, & qvo tempore portum erumperet, ſydera clavo circumluxiſſe. Eſt & alia ſpecies hujus ignis, qvi appellatur ignis lambens capita (*recentioribus, aliis ſimpliciter lambens, id eſt, non urens: Flammæ qvidem veluti lingvæ qvædam apparent. Videntur autem imitatione Metaphoræ, à Virgilio uſurpatæ ſuper eodem igne* [*lib.* 3. *Æn.*

Attollitq; globos flammarum, & ſydera lambit;] *ſic nominaſſe.*) Cujus meminit Livius lib. 1. de Servio Tullo: Eo tempore in regiâ prodigium viſum, eventuqve mirabile fuit; puero dormienti, cui Servio Tullo nomen fuit, caput arſiſſe fertur multorum in conſpectu &c. Item Ovidius 6. Faſtorum:

Signa dedit Genitor tunc, cùm caput igne coruſco
Contigit, inqve comis flammeus arſit apex.

Item Virgilius lib. 2. Æn.

Cùm ſubitum, dictuq; oritur mirabile monſtrum;
Namq; manus inter, mœſtorumq; ora parentum,

Ecce levis ſummo de vertice viſus Iüli
Fundere lumen apex, tactuqve innoxia molli
Lambere flamma comas, & circũ tempora paſcis

Prodigium hoc ajunt ſignificaſſe, Regem fore Aſcanium. Cùm Tarqvinius Priſcus (inqvit Servius) cepiſſet Ocriculanam civitatem, ex captiva qvadam in domo ejus natus eſt Servius Tullus. Qvi cùm obdormîſſet, caput ejus ſubitò flamma corripuit; qvam cùm vellent reſtinguere, Tanaqvil Regis uxor auguriorum perita, intelligens augurium, prohibuit. Flamma puerum cum ſomno deſeruit. Unde intellexit, eum clarum fore usqve ad ultimum vitæ. Tarqvinio Priſco regnante, tradunt repente in foco apparuiſſe ex cinere genitale maſculini ſexus, eamqve, qvæ ibi inſederat, Tanaqvilis Reginæ ancillam Ocriſiam captivam, conſurrexiſſe gravidam, unde Servius Tullus, [*VI. Rex Romanorum,*] natus eſt. Cui deinde in regiâ cubanti caput ardere viſum eſt, creditusqve Laris familiaris filius. Ob id Compitalia & Ludos Laribus primus inſtituit. Plinius [*in fine lib. 36.*]
Caſtores (inqvit L. G. Gyraldus,) ſub formâ duorum fratrum effingebantur robuſti, formoſi, pileati. Supra caput flammam igneam etiam habere videntur, qvalem eis apparuiſſe

ruiſſe canit Orpheus. Apulejus caſſides in capite geſtare ſcribit, ſtellarum apicibus inſignes. Et rurſus: Scribit Orpheus in Argonauticis, qvòd cùm eſſent Argonautæ tempeſtate & procellis agitati, arreptâ lyrâ ſe tum cantare cœpiſſe; qvo cantu mare pacatum, igneumqve ſplendorem ſupra Caſtoris & Pollucis capita affulſiſſe. Qvod & Valerius Flaccus repetit; Jovem enim ita in primo inducit:

Dixit, & ingenti flammantem nubila ſulco
Direxit per inane facem, qvæ puppe propinqvâ
In bifidum diſcesſit iter, fratresq; petivit
Tyndareos, placida & mediis in frontibus hæſit
Protinus amborum, lumenq; innoxia fudit
Purpureum, miſeris olim implorabile nautis.

Concionanti Martio in Hiſpaniâ flammam à vertice atq; humeris micuiſſe legimus. Fatuum propriè dicimus cibum inſulſum atq; inſipidum, ut Martialis fatuas betas dixit. Hinc & homines inſipientes, & in qvorum ſermone nihil ſit ſalis, fatui appellantur. Fatuus eſt, inſulſus, tardus. Terentius. Donatus & Varro ita diſtingvunt, ut fatuus (tanqvam à fando,) in verbis & dictis accipiatur; inſulſus verò corde & animo. Sed & ignem fatuum dixerunt recentiores qvidam, ipſi qvoq; circa Latinum ſermonem fatui ac ignari,

Ignis fatuus (inqvit Joan. Velcurio,) non adurit qvidem, ſed præcedens aut ſeqvens aliqvem, in aëre diutiùs perdurat; qvale Meteoron Plinius Caſtorem & Pollucem nominat, qvod ambulantes, noctu præcipuè, vel eqvitantes, aut navigantes ſæpe præcedere, aut ſeqvi videtur, non ſine horrore aliqvo. Talis eſt ferè etiam ignis lambens crines & pilos animantium, aut veſtes qvoqve. Atqve hujusmodi ignes innoxii crebriùs apparent ſupra loca humida, & fumoſa, atqve paluſtria, ut in cœmeteriis, corvis, coqvinis, convallibus; nam illìc eſt plus viſcoſæ pinguedinis, unde ſurgit exhalatio denſior qvidem, ſed minùs calida, qvàm ut in ſupremam regionem aëris feratur. Hæc Velcurio.

Ex Marci Frytſchii Laubani Meteorologiâ Qvæſtio: Qvî fiat, quòd eqvorum auribus adhærere videantur ignita Meteora, ac item capitibus nonnunqvam, & humeris eqvitantium, vel deambulantium?

EXhalationes diſperſæ per aërem adhærent pilis eqvorum, & veſtibus hominum; ſiqvidem ex levitate ita aſcendunt, ac per antiperiſtaſin inflammantur. Idem hoc fit, cùm homines & reliqva animantia, motu ve-

tu ve-

tu vehementiori caleſcunt; ſudor enim exit pinguis & viſcoſus ab eorum corporibus, qvi accenſus hanc formam refert. Sic eodem modo aut in cœmeteriis, coqvinis, convallibus, ſub patibulis, & ubicunqve multa cadavera ſunt poſita, aliisqve locis humidis, & viſcoſis, atqve paluſtribus apparent lumina ardentia. Ratio eſt, qvia iis in locis continuè terra exhalat fumos pingues, craſſos, & viſcoſos, qvi proveniunt ex mortuorum cadaveribus, & cùm fumus ita continuè exeat, inflammatur per antiperiſtaſin, aut per colliſionem, ſicut ex duobus ſilicibus colliſis ignis elicitur. Ignis fatuus, ſeu candela ardens, (inqvit Fr. Titelmannus,) eſt exhalatio ad infimam aëris regionem elevata, & ibi per antiperiſtaſin incenſa, qvæ dum qværit aſcendere ſurſum, à frigore mediæ regionis depellitur, & apparet qvaſi ſaltans, loca declivioꝛa qværens, unde ad aqvas ducit ſeqventem.

Ex Julii Obſeqventis Prodigiorum libro.

IGnes cœleſtes multifariam orti, levi afflatu complurium veſtimenta aduſſerunt, M. Meſſalâ, C. Livio Coſſ.

Anagniæ ſervo tunica arſit, & intermortuo igne nullum flammæ apparuit veſtigium, P. Africano, C. Fulvio Coſſ.

Puer ingenuus Ariciæ flammâ comprehenſus, nec ambuſtus. Capra cornibus ardentibus per urbem ducta, portâ Næviâ emiſſa relictaqve, C. Mario, Q. Luctatio Coſſ.

Ad forum Eſii bovem flamma, ex ipſius ore nata, non læſit. Concii homo ex ſpeculo acie orta combuſtus, T. Graccho, M. Juventio Coſſ.

Nocte cœlum ac terra ardere viſum, P. Africano, & Lælio Coſſ.

In æde Larum flamma à faſtigio ad ſummum columen penetravit innoxia, P. Saranno, C. Attilio Coſſ.

Albanus mons noctu ardere viſus, C. Cæcilio, Cn. Papyrio Coſſ.

In Gallia in caſtris lux nocte fulſit, C. Mario, Q. Luctatio Coſſ.

In Circo inter pila militum ignis fuſus, Q. Metello, Tullio Didio Coſſ.

Huc omninò pertinet ignis ille in vertice templi Vitoduri oppidi, (qvod itinere horarum quatuor à nobis diſtat,) ſine detrimento viſus, dum hæc conderem, de qvo Vir clarus, & fide dignus ad nos perſcripſit : Hoc anno Salutis noſtræ

M. D.

M. D. LVI. Januarii die qvarto, horâ ſeptimâ veſpertinâ, (id eſt, qvintâ ante medium noctis,) cùm ventus eſſet vehemens, & ningeret, ignis in ſummâ turri ædis ſacræ exarſit, ita crepantibus flammis, ut procul audiretur. Qvi hoc viderunt, flammas ex aperto turris faſtigio emicare putabant. Iidem ſcintillas, ab hoc igne emiſſas, proſiliiſſe teſtantur; duraſſe ferè qvadrantem horæ. Tandem cùm æde reſeratâ aliqvi ad extingvendum incendium turrim conſcenderent, aliqvò usqve progreſſi, lucernâ, (qvam ferebant,) extinctâ, nihil amplius ignis jam reſtincti deprehendere potuerunt. Poſtea rurſus qvarto decimo die ejusdem menſis, idem ignis eodem in loco horâ qvintâ matutinâ, (hoc eſt, duabus ante diem horis,) liqvidò conſpectus eſt, cùm eâ nocte tonitrua, fulgura, & venti vehementes præceſſiſſent. Multi autem, & fide digni Viri ex Senatorum ac civium numero, oculati teſtes, alii primum, de qvo ſcripſimus, alii ſecundum ignem à ſe viſum affirmant.

De aglaophotide marinâ, qvæ & myrica marina dicitur, ex Æliani de Hiſtoriâ animalium libro 14. cap. 24. ut nos è Græco codice manuſcri-

nuſcripto tranſtulimus. Nos qvidem Æliani omnia, qvæ extant, Græcè Latinèqve è regione cudenda hoc tempore ſub prælo habemus, partim Latinè, partim Græcè non evulgata hactenus.

CAniculæ, & alia maris alumna animalia, qvibus audaciam natura inſevit, cùm ſummus per æſtatem calor viget, ad litora ſe recipiunt, & verſus præcipitia natant, & expoſita fluctibus promontoria ſubeunt, & anguſtis profundisqve fretis ſeſe inſinuant. Refugiunt enim pelagus, &, qvæ in eo ſunt, paſcua eo tempore negligunt. Naſcitur autem genus qvoddam algæ ſeu fuci (φῦκός τι) in petris profundis, qvæ magnitudine myricam, fructu papaver refert. Fructus reliqvo anni tempore occluſus, ſolidusqve, & oſtrei inſtar durus eſt. Aperitur autem ab æſtivo ſolſtitio, ut calyces roſarum, (*qvas etiam alabaſtros, & cùm modicè dehiſcunt, nymphas dixerim.*) Exterior pars fructus, nempe cruſta qvædam ſive membrana, teſtæ vel oſtrei modo dura, & viſu qvàm maximè flava, interiorem, cui color cœruleus, ſubſtantia mollis, & tanqvam veſicæ inflatæ pellucida, valli modo ambit ac munit. Ex hac (*interiore parte*)

te) noxium ſtillat venenũ. Emittit autem noctu igneum qvendam, & veluti ſcintillantem ſplendorem, & oriente jam Sirio veneni vehementia creſcit. Qvamobrem piſcatorum natio omnis, qvæ pancynicum, (*lego cynoſpaſtum, ut infrà qvoqve*, [*Gillius cynoſphaſtum*,]) hanc ſtirpem appellat, à Canis ortu venenum hoc gigni arbitratur. Porrò canes marini ad igneum iſtum in hâc marinâ myricâ floris ſplendorem, tanqvam inopinati alicujus lucri ſpe allecti, veneno partim aſperſi, partim devorato, & branchiis etiam hauſto, extincti fluitant. Unde his in rebus exercitati homines venenum ſecundarium ex piſcium iſtorum tum ore, tum partibus cæteris colligunt. Simile malum ex terreſtri etiam aglaophotide eſt, de qvâ mox dicemus. Hæc ille; qvi paulò antè etiam de Hippocampo ſcripſerat, credi eum herbâ qvâdam marinâ venenosâ (ſive hâc, ſive aliâ) paſci, & eam ob cauſam ventriculum ejus venenatum eſſe.

Ex ejusdem libri capite 27. de aglaophotide terreſtri, qvæ & cynoſpaſtus dicitur.

CYnoſpaſtus herba alio nomine aglaophotis dicitur. Hæc per diem inter cæ-

teras herbas, (*à qvibus ne minimum qvidem differt*,) delitеſcit, nec ullo modo agnoſcitur; nocte verò ſtellæ inſtar lucens, & igneo ſplendore coruſcans, facile in conſpectum venit. Itaqve ſigno ad radices ejus defixo discedunt, absqve eo neqve colorem ejus interdiu, neqve ſpeciem cognituri. Nocte jam exactâ adventant, & herbam ex ſigno agnoſcunt; evellere verò, aut circumfodere tantùm, cavent. Primùm enim qvi ejus naturæ imperitus eam attigit, periiſſe ferunt. Canem igitur juvenem adducunt, diei ſpatio famelicum, & funiculum validum arctiſſimè ad inferiorem herbæ ſtipitem vinctum cani etiam alligant, & carnes aſſas multas ei objiciunt, qvàm longiſſimè interim poſſunt recedentes. Canis nidore motus, impetu ad carnes fertur, & herbam radicitùs eruit; cujus radices ſi Sol viderit, canis mox exſpirat, & ſecretis qvibusdam ceremoniis, utpote in ipſorum gratiam extinctus, ſepelitur. Tum demum herbam contingere, & ſecum auferre audent. Uſus ejus ad multa celebratur, & inter cætera adverſus comitialem morbum remedium ex eâ homini commendant; item ad oculorum vitium, qvod, delato in eos humore nimio, videndi facultatem adimit. Hæc ex Æliano de

de aqvaticâ & terreſtri aglaophotide ſcripſerim. [*Hyoſcyamum etiam, & Opon, (videtur papaver nigrum intelligere,) plantis circumfoßis, & alligatis avibus, à qvibusdam evelli, idem Ælianus refert lib. 9. cap. 32. de animalib.*] Eſt autem hoc nomen Græcum, à lucis ſplendore inditum. Apud Dioſcoridem inter pæoniæ nomenclaturas idem vocabulum invenio; & ſanè ea pulcherrima herba eſt, nec tam pulchro nomine indigna, nullo tamen nocturno lumine nobilis. Plinius lib. 24. cap. 17. inter magicas herbas, à Democrito proditas, aglaophotin commemorat, qvæ admiratione hominum propter eximium colorem acceperit nomen, in marmoribus Arabiæ naſcentem Perſico latere; qvâ de causâ & marmaritin vocari. Magos utiqve eâ uti, cum velint Deos evocare.

Rurſus de aglaophotide, qvam Joſephus in belli Judaici Hiſtoriâ lib. 7. cap. 25. Baaras appellat.

VAllis (inqvit Joſephus) qvâ civitas Machærus à parte ſeptentrionali cingitur, qvidam locus Baaras appellatur, ubi radix eodem nomine gignitur, qvæ flammæ qvidem aſſimilis eſt colore, circa veſperam verò veluti

veluti jubare fulgurans, accedentibus, eamqve evellere cupientibus facilis non eſt; ſed tamdiu refugit, nec priùs manet, qvàm ſi qvis urinam muliebrem, vel menſtruum ſanguinem ſuper eam fundit. (*Aſphaltum qvoqve ajunt, cùm è lacu Aſphaltite educitur, non aliter disjungi ac ſeparari poſſe, qvàm mulieris menſtruo ſanguine aut urinâ; & locum, in qvo Baaras creſcit, aſphalto abundare probabile eſt, cùm Aſphaltites etiam lacus propè ſit.*) Qvin etiam tunc, ſi qvis eam tetigerit, mors certa eſt, niſi fortè illam ipſam radicem ferat de manu pendentem. Capitur autem alio qvoqve modo ſine periculo, qvi talis eſt: Totam eam circumfodiunt, ita ut minimum ex radice terrâ ſit conditum. Deinde ab eâ religant canem, illoqve ſeqvi eum, à qvo religatus eſt, cupiente, radix qvidem facilè evellitur, canis verò continuò moritur, tanqvam ejus vice, à qvo herba tollenda erat, traditus. Nullus enim poſteà accipientibus metus eſt. Tantis autem periculis propter unam vim capi eam, operæ pretium eſt. Nam qvæ vocantur dæmonia, peſſimorum hominum ſpiritus, vivis immerſa, eosqve necantia, qvibus ſubventum non fuerit, hæc citò, etiamſi tantummodò admoveatur ægrotantibus, abigit. Fluunt autem ex eo loco aqvarum fon-

fontes etiam calidarum &c. Hæc Joſephus. Videtur autem Baaras nomen ab Hebraico Verbo baar factum, qvod ardere ſignificat, qvòd & aqvæ fervidæ eo in loco ſint, & herba nocturno ſplendore veluti ardeat.

De aliis herbis magicis, qvarum mentionem facit Plinius *lib.* 24 *cap.* 17. *& alibi, qvæ Lunariis, vel noctu lucentibus herbis annumerandæ videntur.*

A Pythagorâ Aproxis appellatur herba, cujus radix è longinqvo concipiat ignes, ut Naphtha. Idem tradit, ſi qvi morbi humano corpori acciderint florente Aproxi, qvamvis ſanatos, admonitionem eorum ſentire, qvoties florere eam contigerit, & frumentum, & cicutam, & violam ſimilem conditionem habere.

Arianidem Democritus tradit in Arianis gigni, igneam colore; colligi, cùm Sol in Leone ſit. Hujus tactu peruncta oleo ligna accendi.

Thalaſſeglen idem author eſt circa Indum amnem inveniri, qvæ ob id nomine alio potamautis appellatur. Hâc potâ lymphari homines obverſantibus miraculis. Hæc fortè aglaophotis aqvatica Æliani fuerit, utpote ſimi-

ſimiliter venenoſa, & ut ex nomine conjici poteſt, ſimiliter in aqvis lucens. Nam ſi Græcè ſcribas [θαλασσαίγλη] thalaſſægle (per æ Diphthongum in penultimâ,) marinus ſplendor intelligitur; & ſi [ποταμαῦγις] potamaugis (potiùs per g, qvàm per t in ultimâ,) fluviatilis ſplendor.

Vetuſtam parietis rimam, in qvâ fortè pepererat upupa, cùm qvidam luto explèſset, upupa rediens, & latebrā ſuam clauſam videns, herbam attulit, qvâ ad lutum admotâ, diſſolutum eſt lutum, & defluxit. Deinde cùm rurſus ad inqvirenda cibaria evolâſſet, homo ille iterum parietis cavernam oblinens obſtruxit; avis verò eâdem ipsâ herbâ rimam aperuit. Idq; cùm tertiò repetitum eſſet, parietis curator, herbâ illâ è luto ſublatâ, ad reſignandos theſauros alienos herbâ illâ utebatur. Ælianus. Si qvis lapide (*aut ligno*) immiſſo foramen nidi pico obſtruxerit, ille herbam lapidi contrariam affert, eamq; contra lapidem ponit. Lapis velut offenſus, & non facilè ferens vim herbæ, exilit. Idem, & Oppianus. Hanc herbam qvi novit, nullo negotio januarum etiam ſeras reſolvet. Kiranides. Adactus cavernis picorum à paſtore cuneus, admotâ

qvâ-

qvâdam herbâ ab his, elabi creditur vulgò. Trebius author eſt, clavum cuneumve adactum qvantâ libeat vi arbori, in qvâ nidum habeat, ſtatim exilire cum crepitu arboris, cùm inſederit clavo aut cuneo. Plinius lib. 10. cap. 18. Sunt, qvi hodieq; , ruſtici præſertim, & de plebe homines talia de pici herbâ nugentur. Plinius alicubi, nempe lib. 26. cap. 4. Æthiopidis herbæ tactu (inqvit) clauſa omnia aperiri, amnes ac ſtagna ſiccari conjectu, ſcripſerunt. Et lib. 24. cap. 17. Æthiopida in Meroë naſci, Democritus tradit; ob id Meroidem appellari, folio lactucæ, hydropicis utilisſimam è mulſo potam. In Prologo libri 27. Romanæ pacis majeſtati deberi ſcribit, qvòd Britannica ex Oceani inſulis, Æthiopis ab exuſto ſyderibus axe portetur. Et lib. 27. c. 4. Æthiopis (inqvit) folia habet phlomo ſimilia, magna, & multa, & hirſuta ab radice; caulem qvadrangulum ſcabrum, ſimilem arcio, multis concavum alis; ſemen ervo ſimile, candidum, geminum; radices numeroſas, longas, plenas, molles, glutinoſas guſtu. Siccæ nigreſcunt, duranturqve, ut cornua videri posſint. Præter Æthiopiam naſcuntur & in Idâ monte Troadis, & in Meſſeniâ &c. Similiter fermè etiam Dioſcorides eam deſcribit.

Æthio-

Æthiopidis folium Ulyſſes Aldrovandus, doctiſſimus Bononienſis Medicus, ad nos miſit candidum, molle & tomentoſum omninò, unde cotonariam circa Montepeſſulum vocant. Integræ herbæ iconem Matthiolus Senenſis exhibuit in ſuis in Dioſcoridem Commentariis lib. 4. cap. 100. qvæ tamen diverſa videtur ab eâ, cujus folium Aldrovandus miſit, cùm folia ſine petiolis cauli adhæreant.

Nyctegretum inter pauca miratus eſt Democritus, coloris ignei, foliis ſpinæ, nec à terrâ ſe attollentem; præcipuam in Gedroſiâ narrat. Erui poſt æqvinoctium vernum radicitùs, ſiccariqve ad Lunam triginta diebus, ita lucere noctibus. Magos, Parthorumqve Reges uti hâc herbâ ad vota ſuſcipienda. Eandem vocari chenomychon, qvoniam anſeres à primo conſpectu ejus expaveſcant; ab aliis nyctilopa, qvoniam è longinqvo noctibus fulgeat. Plinius lib. 21. cap. 11. Sunt, qvi hanc eſſe cenſeant, qvam Chymiſtæ Lunariam nuncupant, noctibus cum Lunâ lucentem. Ruellius.

Sylvaticus, Pandectarum rhapſodus, vocabula barbara Sapaon, Fuxa & Gemul diverſis in locis Lunarias interpretatur, nec aliud addit.

In

In Apæſanto monte juxta Inachum fluvium Argivæ regionis herba Σελήνη, id eſt, Luna provenit, à qvâ manante ſpumâ paſtores initio veris collectâ pedes illinunt, & à ſerpentibus tuti degunt. Plutarchus in Libro de fluviis. Creditur qvidem Luna humorem qvendam, veluti ſpumam aut ſalivam in terras demittere; unde & aphroſelenum lapidem dictum putârim, qvi propter candorem videtur tanqvam ex ſpumâ concretus. Nam & comitialis cauſa refertur ad Lunam, qvòd concidentes ſpumam ore emittunt; qvare & Lunaticos appellant. Vide Orpheum in Prologo de lapidibus.

Selenites apud Dioſcoridem inter chamæciſſi herbæ nomina eſt.

De Lunariis diverſis ex recentioribus, nobis incognitis.

STellam terræ nonnulli herbam vocant, qvæ vulgò Lunaria dicitur, folliculo rotundo ſemina includentem. Is noctu aperitur, & adeò radios Lunæ recipit, ut lucens ſtella videatur. Loci incolæ ubi vident, ceu ſpectrum maleficum fugâ declinant. Hâc veneficia qvidam parant, hâc dæmones irritant, hâc Chymiſtæ ſuum Mercurium fixum ſtabi-

lemq; reddunt. Braſavolus. Videtur autem de eâ ſentire, qvam nos infrà Lunariam Græcam nominabimus.

Amatus Luſitanus hanc herbam, (Braſavoli enim verba transſcribit,) Dioſcoridis dorycnium facit, nullâ ad hanc rem ne conjecturâ qvidem probabili ex viribus aut deſcriptione allatâ.

Ex libro manuſcripto incerti Authoris. Lunaria emicat in montibus humidis, in qvibus multæ fontium venæ ſcaturiunt. Caule viſitur procero & rubente, anguloſo, nigris aſperſo maculis. Folia inſtar Lunæ orbis, aut numi alicujus rotunda ſunt, aut ſampſuchi foliis ſimilia. Flos luteus odor moſchi. Mari folia minora, fœminæ majora ſunt. Chymiſtæ facultatem ferè eandem, qvam chelidonio, ei attribuunt. Metalla omnia vi ejus in Solem & Lunam converti pollicentur. Noctibus lucere ajunt, creſcente Lunâ. Succum de floribus mutare Mercurium in veram Lunam; ſuccum verò radicis ad mutationem in Solem conducere. Colligi oportere æſtate pridie Divi Joannis Baptiſtæ, Lunâ plenâ, ante ortum Solis; creſcit enim (ajunt,) & decreſcit cum Lunâ. Aliqvi hanc herbam goriſſam nominant, alii marthagon, (*Italis marthagon*

eſt

eſt genus lilii montani, floribus purpureis, bulbo radicis luteo,) portulacam, hypericon, perforatam majorem. Præſtat eadem, qvæ balſamum. (*Vulgò perforatæ, vel hyperico, vel androſæmo hæc adſcribunt, cui etiam ex deſcriptione hâc qvædam conveniunt, qvædam non conveniunt.*) Diſſolvit incantationes, fugat dæmones, feras omnes cicurat. Venenum, eâ præſente, nullum nocet. Spiritus per eam in ampullâ includi poteſt, adhibitis ritibus magicis; (*hoc qvidem per qvamlibet herbam fieri poſſet, non ipſius, ſed impiæ ſuperſtitionis vi.*) Lepram, omnia hydropis genera, & omnes oculorum affectus curat; item vulnera, febres, & omne genus morborum Seras & clauſuras aperit. Portantis libidinem immodicè accendit. Si cum ſucco de caule ejus Mercurium fervefacias, in lapidem rubentem convertetur, qvi tritus argentum in aurum optimum transmutat. Folia qvoq; arida trita ſuper Mercurium conjecta, aurum ex eo præſtantisſimum faciunt. Venerem qvoq; in Lunam permutant. Hæc ex Libro manuſcripto. Apparet autem, Chymiſtas, qvi hujusmodi primò ſcripſerunt, & poſteros etiam, qvi eis crediderunt, vel omninò imperitos fuiſſe homines, qvi facilè ac temerè aliorum fabulis fidem habuerint,

& portentoſas herbarum deſcriptiones, qvæ nusqvam in rerum naturâ extant, protulerint; vel involucris & ænigmatibus hujusmodi deſcriptionum non plantas ullas, ſed res longè diverſas ſignificâſſe, ut chelidonii vel elydrii nomine, neſcio qvam qvintam eſſentiam, vel lapidem Philoſophorum. Pleriq; ſanè noſtri temporis Chymiſtæ, qvi argenti aurive ex aliis metallis mutationem qværunt, homines ut prorſus indocti ac imperiti ſunt, ita ſuperſtitioſi & impii, & dæmonibus aſtricti; qvalem Theophraſtum Paracelſum fuiſſe audio, & qvosdam adhuc ejus diſcipulos, & alios paſſim complures. Qvanqvam non dubito, multos etiam bonos & ſimplices homines ab illis circumveniri, ut nugas illorum aliqvid eſſe credant, cùm egregiè ſint loqvaces, & tanqvam ipſos naturæ abditiſſimos fontes rimati, de maximis & ſecretiſſimis in natura rebus diſſerant, aureos deniqve polliceantur montes, ipſi interim Codro & Iro pauperiores. Hi multis etiam principibus Viris perſvadent & imponunt, multis mediocribus & eruditis qvoqve, ut tempus & rem circa fumum, fimumqve, & carbones inſumant. Hoc verè eſt fumos venditare. Horum aliqvi etiam virgulæ divinæ indicio metalla in terræ viſceri-

bus

bus abdita rimantur, non ſine dæmonis, (ut ego mihi perſvadeo,) virgam deprimentis auxilio. Fures ajunt fruſtrà hoc tentare, adulterium non obſtare, qvam ſimiliter opinionem animis ipſorum à cacodæmone impresſam crediderim. Qvis enim vir bonus non malit ſibi rem utcunqve pretioſam furto auferri, qvàm corrumpi adulterio, & alienari animæ dimidium ſuæ uxorem? cujus violatâ ſemel pudicitia recuperari non poteſt, cùm amiſſæ pecuniæ jactura ſarciatur facilè. Hi cùm pecuniam & divitias ſibi finem bonorum, & ſummam felicitatis propoſuerint, neqve illas in carbonibus & fumis ſuis, ut ſperabant, inveniant, ad Medicinam ſe convertunt, neqve unius aut paucorum morborum promittunt ſanationem, ſed omninò adverſus omnes morbos remedia feliciſſima & efficaciſſima, & ſanis vitæ longævitatem pollicentur. Hippocratem, & Galenum, & Medicos omnes, qvi methodum ullam profiteantur, contemnunt & calumniantur. Horum magnificis promiſſis vulgus & imperiti delectantur ac irretiuntur, maximo qvidem multi ſuo malo. Olea & liqvores ex metallis, & aliunde vi ignis abſtrahunt, vehementiſſima remedia, qvibus absqve ratione utuntur,

nullo eorum, unde ſua medendi indicia legitimi Medici deſumunt, reſpectu habito. Fateor, Chymiſticam artem habere egregia quædam & utilia, qvibus ars Medica ferè hactenus caruit, ſed ea, cum planè vehementia ſint, & nullâ ratione ab illis uſurpentur, non raró maxima vitæ humanæ damna inferunt. Qvamobrem ſi cui ſua vita curæ eſt, hos impoſtores, & irrationalem eorum medendi rationem declinabit. Sed relinqvamus hoc hominum genus, & reliqva hujus inſtituti perſeqvamur, in qvibus ſi qvid vanum aut magicum occurret, non id à me probari, neqve ex propoſito, ſed obiter, & dum meliora inqviro, referri, Lector intelligat.

Holitha, ſi bene memini, in Moraviâ, vel propè naſci fertur, rara qvædam herba, & ſpiritus malignos, ſi qvis credat, repellens, qvod & de Lunariis fabulantur.

Sunt, qvi Lunariam nunqvam à ſe viſam, deſideratam verò magnoperè, his verbis nobis depingunt: Creſcit hæc herba in excelſis montibus ad Orientem, parva & humilis admodum foliis, & ſpecie lavandulæ vel hyſſopo non diſſimilis, conferta, multis brachiata ramulis, floſculis inter folia cœrulei coloris ornata, tanqvam ſtellulis, qvi, poſtqvam

qvam Sol occidit, per totam noctem lucent. Radix croceo colore eſt, adeò ut etiam tingere poſſit. Aliqvi aſterion & bubonion, alii argemonem eſſe putant. Provenire ajunt, vel potiùs ſomniant, in monte qvodam juxta Claronam, celebrem Helvetiæ pagum, & in monte Divi Beati, & prope Lucernam; Junio qværendam, florere Julio. Alii deſcriptionem ex hâc & præcedente confuſam afferunt, ut magna iſtorum hominum imperitia eſt.

Herba profectò Lunaris à Mercurio tradita foliis cœruleis atqve rotundis, creſcente Lunâ unum qvotidiè producens folium, decreſcente deponens; annos utenti promittit Lunares. Marſilius Ficinus de vitâ cœlitùs comparandâ lib. 3. cap. 14. [*De Glauci herbâ, qvâ guſtatâ factus eſt immortalis, vide Lexicon Phavorini.*] Hæc ſcripſeram, cùm amicus qvidam tres alias deſcriptiones miſit, qvas, ut accepi, ſubjiciam:

1. Lunaria in ſummis Alpibus naſcitur prope fontes aut flumina. Folia habet parvula, rotunda inſtar numuli ad amaraci ferè ſimilitudinem, cæſii vel cœrulei coloris. Caulem rubrum habet & odoratum, radicem verò croceam; Lunariaqve idcirco appellatur,

qvòd ad Lunæ auctus atqve imminutiones creſcere ac decreſcere conſveverit; totidemqve folia habere dicitur, qvot Luna habeat dies. Hæc ex Herbarii cujusdam ſchedis excerpta ſunt.

2. Lunaria habet caulem durum, & altum tribus cubitis, coloris cœrulei, multis nodis cinctum, & in qvolibet nodo tria habet folia, ſpatiumqve inter nodos eſt trium digitorum.

3. Herba qvædam habet radicem ſatis longam, dodrantalem, in cujus principio naſcitur ramus, in medio alius, in fine ſive capite altero radicis tertius ramus vel caulis, qvi crocei coloris ſunt, & cum Lunâ creſcunt. Nam ipsâ creſcente, ſingulo qvoqve die ſinguli rami duo cœrulea producunt folia parva, donec ad qvintum decimum Lunæ diem pervenerint, à qvo tempore pariter decreſcunt ſingulis diebus, ut creverant.

Lunaria qvædam craſſula cognominatur, ad differentiam alterius Lunariæ, (*ſerpentinæ puto, de qvâ mox dicetur.*) Huic folia ſunt pinguiora & rotundiora numorum inſtar, eaqve recto deinceps ordine unum poſt aliud, herbæ ſtipiti utrinqve adhærent: ſtipes autem valde tenuis & longus eſt, qvare humi ſternitur.

tur. Hanc herbam inveni extra muros in foſſis Papiæ. Medetur mirè hernioſis arida trita, & cum pari piloſellâ, qvotidiè cochlearii menſurâ è jure, aut vino pota. Author Additionum ad Pandectas Sylvatici. Qværendum, an hæc ſit herbula, qvæ in vallibus qvorundam montium circa ſaxa naſcitur, plurimis in orbem foliis radiatis circa radicem, ſimilibus minori conſolidæ, ſed multò minoribus, circùm ſerratis, alioqvi portulacæ non diſſimilibus futuris, crasſiuſculis, parte ſupinâ rubentibus, floſculis parvis & luteis, ſi bene memini, caule ſex aut ſeptem digitos longo. Conjicio autem eandem eſſe, qvam inter acetabuli, ſeu cotyledonis genera Matthiolus pictam exhibuit lib. 4. cap. 88. Mihi qvidem in Sabaudiæ montanis reperta, Dioſcoridis paronychia aliqvando viſa eſt, etſi Lunaria etiam arthritica, præſertim minor, mox deſcribenda, cum ejusdem herbæ deſcriptione faciat, utrivis folia pepli, (qvibus folia paronychiæ Dioſcorides comparat,) attribuerim potiùs, qvàm rutæ parietum, vel ſalviæ vitæ vulgò dictæ, qvam pro paronychiâ Matthiolus pingit.

Pandectarum author cap. 353. craſſulam minorem interpretatur vermicularem, Major

verò (inqvit) folia habet tenera & pinguia, in qvorum ſuperficie eſt borra, utilis adverſus combuſtionem ab igne, & ad ramicem puerorum, in qvem uſum teruntur folia cum cymis olivarum, & axungiâ recenti. Inde expreſſus linteo ſuccus cum pauco vino albo coqvitur, maſtiche & olibano admixtis, ut fiat ungventum. Sed craſſula noſtra petræa borræ ſive lanuginis nihil habet. Qvamobrem conjicio, ſaniculam noſtram guttatam, paulò pòſt deſcribendam, eſſe hanc craſſulam majorem Pandectarii; nam & forma & vires reſpondent.

Serpentina (inqvit idem author Additionum ad Pandectas,) herba foliis ſalicem refert, piloſa ab unâ parte. Oritur in pratis montium, & lucet nocte, ut Vir qvidam nobilis Mediolanenſis mihi tanqvam rem ſecretisſimam revelavit. Curabat ille omnes coli & inteſtinorum dolores brevi tempore, propinato cochlearis dimidio hujus herbæ tritæ ex vino albo.

De aliis qvibusdam Lunariis, qvas novimus, etſi nullam earum noctu lucere obſervatum nobis ſit.

De

De Lunariâ arthriticâ.

LUnariam in Sabaudiâ nominant herbam, (aliqvi ibidem Julianam, & unam è Lunariæ ſpeciebus faciunt,) qvam nos, ut à cæteris diſtinguatur, arthriticam cognominare voluimus. Circa Bergomum in Italiâ folium montanum nuncupant; noſtri, vel paſtores potiùs altiorum montium incolæ, ut Reginæ montis non procul Tugio, Flůblůmle / hoc eſt, floſculos rupium. (Qvanqvam & fruticem odoratum longè diverſi generis, foliis oleæ, flore rubente, qvo pro xylobalſamo qvidam perperam utuntur, ab iisdem rupium natalibus Rote Flůblůmen appellant. Sunt, qvi hujus etiam generis ſpeciem flore rubeo inveniri mihi dixerint, in Grindeliâ ſylvâ ditionis Bernenſis, foliis minoribus, & modicè crenatis.) Aliqvi in montibus circa Atheſim, aut etiam Bavariæ (ni fallor) morſum Diaboli vocant, Tüfels Abbiß / eò qvòd radix in fine præmorſa videatur, ut in herbâ vulgari, & paſſim in humidis pratis per autumnum florente, qvam pleriqve morſum Diaboli appellant. Reperimus eam in plerisqve Helvetiæ noſtræ, Valeſiæ & Sabaudiæ montibus, in ipſis rupibus, aut ſaxoſis locis; aliàs majorem, ſolo ſcilicet lætiore, & inferi-

ore



ore montium loco; aliàs multò minorem, altioribus & ſiccioribus locis. Itaqve folia in qvibusdam rotunda ferè ſunt, nec multò, qvàm peplii aut eſulæ rotundæ, majora. In aliis oblonga, & duorum ferè digitorum latitudine, & ſatis craſſa & carnoſa. Margo etiam in aliis æqvalis videtur, in aliis modicè inciſus, aut fimbriatus. Floſculi in ſummo cauliculo lutei vel pallidi, modò duo aut tres, modò complures, qvi in hortis noſtris menſe Aprili, & initio Maji florent, longè ſvaviſſimi odoris. Non decidunt folia, ſed circa caput radicis arida manent. Radix nigricat, aut ſubruffa eſt, aliqvando pollicaris craſſamento, & longitudine bipalmaris, ſed plerumqve minor & brevior; intus alba, geniculata, & in ſe conferta; odorata reſinoſo qvodam, ſed grato odore; multis hirſuta fibris; acris, ſubaſtringens, terram ſapit; friabilis & mollis, dum manditur, calami aromatici qvadam ſimilitudine; vinum ſuo odore commendat; gingivas manducata, & dentium dolores, præſertim à defluxione frigidâ obortos juvare videtur, & capiti frigido, & partibus nervoſis prodeſſe, ulcera qvoqve putrida emendare. Sciſſuras qvidem in cute hiantes ventorum, frigoris, aut aliâ qvâpiam inju-

injuriâ ſuccum ejus inſtillatum breviſſimè ſanare ajunt. Sed, ut paucis dicam, præſtat omnia, qvæ arthritica illa, qvam primulam veris appellant, Fuchſius verbaſcum; ſed efficaciùs. Nam ſpecies hæc illius montana eſt, & per omnia eam refert, ut meritò arthritica Alpina dici poſſit. Calidam dixerim in ſecundi gradus fine, ſiccam initio tertii. In hortis qvovis loco plantata vivaciſſima eſt, nec facilè perit, etiamſi qvis evulſam per unum aut alterum menſem reſervet, anteqvam denuò terræ committat. Minimum enim aqvoſi & tenuis ſucci habet; multum verò pinguis & reſinoſi, cujus gratiâ conſervatur. Chirurgus qvidam in Sabaudiâ, qvi loca montana nobiscum inviſebat, hanc herbam ſecum aridam gerebat, tanqvam viva, & ſuo natali hærens ſolo ſine hac in montibus deprehendi non poſſet, ſtultè perſvaſus.

Circa Bononiam auricula urſi nominatur, ut Vir diligentiſſimus, & principe inter viros harum rerum notitiâ claros numerandus loco Ulyſſes Aldrovandus ad nos ſcripſit. Hanc (inqvit idem,) doctiſſimus Matthiolus Senenſis ſaniculam ſecundam vocavit in Capite de ſymphyto. Sunt, qvi ſucco hujus herbæ bonum in muliebri facie colorem fieri pro-

promittunt. Germani (inqvit Matthiolus) plura ſaniculæ oſtendunt genera, qvorum unum folia fert plantaginis magnitudine, ſed craſſiora, veluti fabariæ vulgò vocatæ, laciniis circùm magno artificio factis à naturâ, colore in album flaveſcente. Id genus copiosè naſcitur in agro Goritienſi, monte Salvatino. Hoc cæteris præferunt ad enterocelas, & thoracis vulnera, ſi qvotidiè in potu ſumatur, qvin & ad alia vulnera, tam intus ſumptum, qvàm exteriùs illitum. Hæc ille. Nec dubium, qvin omninò de noſtrâ Lunariâ arthriticâ ſentiat. Empiricus qvidam unguentum nobile ad varia ulcerum genera parat hujusmodi: Lunariam arthriticam, ophioglosſum Fuchſii, (qvam ego linguam ſive lingulacam Plinii interpretor,) & ſaniculæ Alpinæ genus, nulli adhuc deſcriptum, qvod ſciam, foliis rotundis, carnoſis, crenatis, floſculis albis, qvos inſperſa ſanguinea puncta decorant, à qvibus ſaniculam guttatam nominari licebit. Has inqvam herbas in oleo coqvit, & expreſſo addit terebinthinæ reſinæ, bubulæ medullæ, & ceræ qvantũ ſatis videtur; nonnihil etiam thuris & maſtiches, interdũ & dialthæas ungventi, &, ſi opus videatur, petrolei. Hinc ungventum omninò

nò lene conficitur. Variis ulceribus etiam inveteratis ſanandis utile eſt, qvando ærugi-nis aliqvid miſcet, cùm vi majore opus eſt, & ulceribus nimium humidis oleum de ligno ju-niperi pariter illinit, & aliud in circuitu, tu-moris calorisve amoliendi gratiâ.

De aliâ Lunariâ, qvam aliqvi Græcam cognominant, qvidam Germanicè Flitteren.

HErbam hanc multi in Italiâ & Germaniâ Lunariam vocant, alii Græcæ cognomen addunt. Rembertus Dodonæus in ſuo de ſtir-pium imaginibus & nomenclaturis Libro vio-lam latifoliam nominat: Herbariis (inqvit) bolbonac appellatur, Brabantis Pennickbloe-men. Miſit illam ad me olim Marpurgo Vir pereruditus Benedictus Martinus, qvi nunc Bernæ bonas literas docet, Lunariæ nomine. Ego hactenus illam in hortis tantùm vidi, ruri reperiſſe usqvam non memini. Seminum ejus nuper Vir diligentisſimus, & de re herba-riâ optimè meritus Ge. Ollingerus, Pharmaco-pola Norimbergenſis, me participem fecit, Lunariæ Græcæ inſcriptione. Sunt autem latiuſcula, acria, & intra ſiliqvas breves qvi-dem, ſed benè latas, & planas, non teretes, qva-

qvales pleræqve ſunt ſiliqvæ, neqve cavas, qvæ veluti laminis tenuiſſimis & candore ſplendentibus conſtant. Hæ fortè cùm ad ſummam maturitatem ſiccitatemqve pervenerint, noctu vel lucent, vel lucentis Lunæ imaginem ſuperficie ſuâ lævi & ſplendidâ tanqvam in ſpeculo reddunt, ſicut & ſpecularis lapis, (qvem aliqvi ſtellam terræ nominant, ut Braſavolus refert, propter lucem & ſplendentes radios,) ut inde Lunariæ nomen herbæ ſit impoſitum. Flores (ni fallor) ſubcœrulei ſunt leucoiorum ſpecie, & reliqva forma, qvalis repræſentatur. Certum eſt etiam in Helvetiâ noſtrâ creſcere, Lovanii audio bulbonac vocari, floribus purpureis, & in hortis ali. De hâc etiam Jo. Kentmannus, præſtantiſſimus Dresdenſis Medicus, in doctisſimis Obſervationibus ſuis hiſtoriæ ſtirpium rariorum, qvarum etiam icones fieri curavit, & mihi pro ſummo candore ſuo communicavit, ita ſcribit: Hanc plantam Patavii mihi dedit Aloiſius Romanus ex horto Medicorum, dixitqve veram Lunariam eſſe, qvod certis rationibus adductus credo. Nominis cauſam inde colligo: Folium, qvod utrinqve folliculum in medio facit, & intra qvod utrinqve ſemen continetur, argenteo ſplendore nitet.

Idem

Idem folium decidentibus cum ſemine ex utraqve parte pelliculis, diutiſſimè manet, & ſplendidum illud ad Lunam maximè nitet, unde herba ipſa Lunariæ nomen non ſecus accepit, ac lapis ſpecularis, qvem Græci ſeleniten, id eſt, lunarem appellant. Hujus herbæ in Hetruriâ aliam ſpeciem habent, qvam Lunariam odoratam vocant. Miſenæ à me ſata crevit ex ſemine, & majora folia majoresqve folliculos, qvàm in Italiâ, habuit, & ſecundo anno circa finem Martii protulit violaceum florem, & ſemen ferè fuſcum. Hæc Kentmannus. Lunaria odorata, [*qvam alii Lunariam Græcam majorem nominant*,] naſcitur paſſim in pratis Alpinis, ut clariſſimus Medicus Ulyſſes Aldrovandus ad nos ſcripſit, qvi utriusqve etiam, (qvarum hìc meminimus,) Lunariæ plantas ipſas ad nos dedit. Puto autem, has duas herbas unius generis proximi ſpecies eſſe, & magnitudine tantùm, odoreqve differre. Nam qvantum ex aridis inſpectis colligo, odoratæ folium majus & hirſutius eſt, & ambitu magis ſerrato, nervis candidioribus diſtinctum, & qva pedi ſuo jungitur, magis cavum. Unius ſiliqvæ breviores rotundioresqve ſunt, alterius oblongæ.

Remedium ex Lunariâ, qvæ flores cœruleos habeat, (eam eſſe puto, de qvâ hìc agimus,) adverſus comitialem morbum experimentis probatum audio, qvaſi qvædam, ut Lunæ ad hunc morbum ſympathia, ita Lunariæ herbæ antipathia ſit. Ælianus etiam (ut retuli) aglaophotin ſuam epilepticos liberare ſcribit, & lunarem ſive ſelenitem lapidem Dioſcorides libro 5. cap. 100. Selenites lapis eſt, (inqvit,) qvem aliqvi aphroſelenum vocaverunt, nomen invenit, qvòd per noctem ad incrementa luminum Lunæ plenus reperiatur. Naſcitur in Arabiâ, colore candido, pellucidus, minimè ponderoſus. Dantur bibenda comitialibus ramenta ejus. Eundem pro amuleto alligant ſibi mulieres, (*ad fœcunditatem fortè conciliandam, aut retinendum fœtum, cujus incrementis, ut etiam fœcunditati, Luna videtur præeſſe.*) Creditur & arboribus appenſus fœcunditatem earum augere. Hæc Dioſcorides. Porrò ubi Græcè legitur: *Διὰ τὸ εὑρίσκεσθαι αὐτὸν νυκτὸς μεστὸν ἐν τῇ τῆς Σελήνης παραυξήσει*, Matthiolus Senen. transfert: Qvoniam noctu invenitur Lunæ imaginem reddere, qvæ cum eâ qvidem augetur & decreſcit; neſcio, qvàm rectè. Inveni-

venitur fortè hic lapis non tam facilè interdiu, qvàm nocte mediâ & plenâ, *νυκτὸς μέσης*, ad imaginem Lunæ, qvam reddit, *ἐν τῇ τῆς Σελήνης παραυγήσει* aut *παραυγάσει*· nam *αὐγεῖν* & *αὐγάζειν* ſplendere eſt. Res gypſo cognata lapis ſpecularis eſt; qvod nomen, qvia perſpici poteſt, & rei, qvæ ab ejus tergo eſt, imaginem reddit, ipſi à ſpeculo impoſitum. E Græcis qvidam *σεληνίτην* appellant, qvòd plenâ nocte ad incrementum Lunæ ſoleat inveniri. Vel qvòd imaginem Lunæ, qvam, qvia pellucet, noctu concipit, in dies ſingulos creſcentis minuentisqve numero reddat. Alii *ἀφροσέληνον* vocant, qvòd multis perſvaſum eſſet, ut abſurdiſſima qvæqve vulgo perſvaderi poſſunt, Lunæ eſſe ſpumam. Ab Aëtio, qvòd transluceat, *διαφανὲς* appellatur, & *σφεκλάριον* vocabulo Latino, ſed corrupto. Ex Germanis qvidam huic lapidi nomen poſuerunt glaciei, (Unſer Frouwen Yß/) qvòd ad eam candidæ cruſtæ magnam ſimilitudinem habeant. Qvam rem cùm Julianus Cæſar in glacie fluvii Seqvanæ animadvertiſſet, eam ſimilem eſſe ſcribit lapidi Phrygio; ſic vocat ſpecularem, qvòd in Phrygiâ reperiatur. Ex hoc, qvoniam perſpicuus eſt,

Senecæ memoriâ cœperunt fieri ſpecularia, qvæ feneſtris inſerta aërem excluderent, transmitterent lumen. Ge. Agricola. [*Eſt & alius lapis Phrygius, gleba pumicoſa, qvam aliqvi pro lyncurio vendunt.*]

De alio genere Lunariæ.

ULyſſes Aldrovandus aliam qvoqve herbam ad nos miſit, & à nonnullis Lunariam appellari ſcripſit, ab aliqvibus alysſon Dioſcoridis exiſtimatam. Folia jam ob ariditatem perierant; conjicere tamen potui ex aridis & corrugatis, ea circa ſummum caulem duos aut tres digitos longa eſſe, unum lata, lævi ambitu, ſine pediculo. Arida perqvàm friabilia erant, & inſipida ferè. Caulis lignoſus, mandenti ferè fœtidus. Herba tota aſperiuſcula & albicans. Siliqvæ latæ & compresſæ, ut in Lunariâ ſuperiore ferè, à qvarum ſimilitudine aliqvâ fieri poteſt, ut nomen huic herbæ idem impoſitum ſit. Singulæ in ſummo mucronem habent exiguum; membrana in medio ſimiliter candida conceptacula utrinq; ſingula diſtingvit, in qvorum ſingulis ſemina ferè octona continentur, tenuia, latiuſculã, inmedio ſubruffa, ambitu foliato candicante. Siiqvæ deinceps circiter qvindecim ſummum

cau-

caulem ambiunt, petiolis innixæ brevisſimis, erectæq;. Sunt, qvi pæoniam marem Lunariam majorem appellent Mompelii, ut Conradus Forerus Vitodurenſis, eruditus ac diligens Medicus, ſingularis amicus meus, mihi retulit. Hanc in Averniæ montibus reperiri ait, foliis, ſiliqvis, ſeminibus ac radicibus pæoniæ fœminæ pulchrè congruentem. Scio, Hieron. Tragum, &, qvi eum hâc in re ſeqvitur, Dodonæum herbam, cujus radix vulgò hactenus noſtris pharmacopolis pro dictamno in uſu fuit, pæoniam marem feciſſe; qvibus ego neqvaqvam asſenſerim. Veram qvidem pæoniam marem in montibus prope Comum & Larium lacum naſci audio. Hanc æſtate ſuperiore vidi Lindaviæ in clarisſimi mercatoris, & optimi Viri Matthiæ Curtii longè inſtructisſimo omni plantarum genere horto. Folia terna binave, qvantum memini, juglandium ſimilia ſunt, grana in ſiliqvis rubent.

De Lunariâ, qvam petræam cognominare licebit.

Lunaria minor (inqvit Fuchſius, qvi iconem etiam dedit,) rotundo eſt caule, cui folia utrinq; ſeptem annexa cordis ferè humani formam habent; in ſummitate caulis

ſemen betæ ſimile profert. Naſcitur in montibus. Reperitur in fine Maji & Junii, dein ſtatim evaneſcit. Terreſtre qvid præ ſe fert guſtata, atq; parum aſtringit, ut hinc mediocriter frigidam & ſiccam eſſe, veriſimile ſit. Vis foliorum ejus haud dubiè vulneribus efficax; glutinandi namq; facultate prædita eſt. Ad ſupprimendos menſes, & album muliebre profluvium mirificè conferre hanc herbam, experientiâ conſtat. Hæc ille, aliud hujus herbæ nomen hactenus ſibi cognitum negans. Fingit autem Germanicum, imitatione Latini, klein Monkraut / ut Tragus à foliorum ſimilitudine, qvæ ad rutam accedunt, Monrauten. Nos aliqvando in petroſis Sabaudiæ montibus herbulam hanc invenimus, colore pallidam, foliis utrinq; ut in trichomane digeſtis, unico tantùm ramulo foliato, & altero qvaſi lingula, cui hærent racematim veluti ſemina qvædam rotunda, (ſterilia, ut conjicio; non enim ſolida ſunt, ſed luteo polline plena,) colore gilvo, per ſummum in ſpiram retorta, qvæ fortè per maturitatem explicatur. Et forſitan ſpira illa in cauſâ eſt, ut à Lunâ ſit impoſitum nomen, qvòd inſtar Lunæ à plenilunio creſcentis incurvetur, ſicut in filicum generibus, & phyllitide, cùm folia primùm creſcunt.

Radix

Radix ſimplex deſcendit, pluribus in imo adnatis. Guſtus è dulci aſtringit. Paſtores tauram vocabant, vel toram, qvòd vaccæ hâc herbâ deguſtatâ ad libidinem moveantur, & reqvirant taurum. Sed alia eſt tora venenata, de qvâ inferiùs mentio nobis fiet; dora fortè dicenda potiùs, qvòd ejus ſucco dorata & ſagittæ inficiantur. Vaccas qvidem ad libidinem incitari ſeſelis qvodam genere guſtato, cujus ſemen pharmacopolæ noſtri ſileris montani nomine vendunt, paſtores Suitenſes apud nos affirmant, & inde tauram (Stierlekrut) appellant. Porrò qvòd Lunariam minorem, de qvâ ſcribimus, cum Lunâ augeri & decreſcere qvidam putant, ita ut, qvot diebus ſupra terram Luna fuerit, totidem inciſuris diſſectum hujus herbæ folium conſpiciatur, qvis non fabuloſum exiſtimet, non minùs qvàm qvod de fibrarum in murium jecuſculis numero traditur? Lunaria hæc minor ſatis freqvens eſt circa Clavenam, inſignem Rhætiæ pagum, ubi ruſticos jumentorum ulcera hâc herbâ curare ajunt. Sunt in Italiâ, qvi hanc herbulam epipactin vocitent, qvæ & elleborine dicitur. Ea Dioſcoridi lib. 4. c. 104. herba parva eſt, fruticoſa, minimis foliolis, jocinoris vitiis utilis, & contra venena pota. Nec plura

apud veteres reperiri puto de epipactide. Nam Ægineta nomen tantùm, & vires ex Dioſcoride repetiit, ut nihil inde certum ad herbam hanc inveniendam aut demonſtrandam haberi poſſit, ac præſtet de eâ tacere, qvàm falſum dicere. Sed Græca verba Dioſcoridis audiamus: Ἐπιπακτὶς, οἱ δὲ ἑλλεβορίνην (καλοῦσιν,) οἱ δὲ βόριον, (*vox fortè mutila pro* ἑλλεβόριον, *ut additur inter notha,*) θαμνίσκος ἐστὶ μικρὸς, ἐλάχιστα ἔχων φυλλάρια, (*aliàs* φύλλα,) πρὸς τὰ θανάσιμα δὲ πίνεται, καὶ πρὸς τὰ ἐν ἥπατι πάθη. θαμνίσκον interpretor herbam fruticoſam vel fruticantem, nimirum ramulis & ſurculis pluribus ſe extendentem; non autem ſuffruticem lignoſi generis, ut ſunt thymus, hyſſopus, ſerpillum, & alii, qvi & ipſi tamen rectè θαμνίσκοι dicuntur, imò rectiùs, & magis propriè. Et capite proximè ſeqventi fumariam βοτάνιον θαμνοειδὲς meliùs, qvàm θαμνίσκον dixit, qvoniam lignoſi in ſe nihil habet. Hæc, ſi argumentum & brevitas libelli ferret, copioſiùs veterum Græciæ Scriptorum & Grammaticorum teſtimoniis aſtruerem. Meminit ejus etiam Plinius lib. 13. cap. 20. tanqvam ignoti ſibi Italiæq;, aut ne

naſcen-

naſcentis qvidem illìc, inter arbores & frutices peregrinos ineptisſimè. In Aſiâ (inqvit) & Græciâ naſcuntur frutices, epicactis (*lego epipactis,*) qvem alii embolinen (*lego elleborinen*) vocant; parvis foliis, qvæ pota contra venena proſunt, ſicut herices (*lego erices*) contra ſerpentes. Et in qvo naſcitur granum Gnidium, &c. Miror autem, thymelæam ſuffruticem, qvi granum Gnidium gignit, familiarisſimum Medicis, qvem in Galliâ ſæpe vidi, & in Italiâ qvoq; naſci freqventem ſcio, ignorâſſe Plinium; nam ſi noviſſet, non debuiſſet peregrinam facere. In hoc igitur cùm errârit, epipactidem qvoq; peregrinam eſſe, nemo ex ejus authoritate convicerit; ſed neq; fruticem, cum Dioſcorides non modò θαμνίσκον diminutivâ voce dicere voluerit, ſed μικρὸν θαμνίσκον, ut & folia ejus non modò φυλλάρια, ſed inſuper ἐλάχιστα. Sed rurſus libro 27. cap. 9. commodiùs veriùsq; Plinius, inter herbas: Epicactis (*epipactis lego,*) ab aliis elleborine vocatur, parva herba, exiguis foliis, jocinoris vitiis utilisſima, & contra venena pota. Gallus qvidam, qvi Dioſcoridem nuper cum figuris ac ſuis ſcholiis Lugduni in officinâ Arnolleti curavit excudi, non expreſſo nomine ſuo, epipactidem ſcribit à Plinio

ellebo-

elleborinam dici, qvòd elleborum nigrum referat. Qvod qvomodocunqve accipiatur, (Viri eruditi pace dixerim,) falſum eſt. Nam neqve Plinius elleborinam vocavit primus, aut præ aliis, ſed ante eum Græci, è qvibus tranſtulit: neqve vel ipſe, vel alius qvisqvam veterum, epipactidis folia elleboro nigro comparavit; qvomodo enim illis φυλλάρια ἐλάχιστα conferri poſſent? Scio, Matthiolum herbæ cujusdam iconem dare, cujus folia non abſimilia inqvit eſſe ellebori nigri foliis. Sed hunc qvoqve eâdem ratione, qvâ Gallum illum, errâſſe dicemus. Adde, qvòd neqve fruticoſa eſt, qvam pingit, herba, neqve ullum ſingulare ex eâ ad jecur, vel contra venena remedium affert. Nam ſi vis eadem conſtaret, ſtirpem unam pro alterâ accipi, tolerabilius eſſet. Similis illorum error eſt, qvi conſiliginem, elleboro nigro & viribus & facie cognatam, & aliorum, qvi aliam ellebori nigri ſpeciem, (cui folia plerunqve bifida aut trifida,) elleborinen appellant. Authores certè, cùm elleborum ſimpliciter nominant, de albo ſentiunt. Unde erroris occaſionem cepit Dodonæus, qvi herbam qvandam ſingulari caule, cubitali ferè, foliis elleboro albo non disſimilem, qvam aliqvi

alisma

alisma ſeu damaſonion eſſe putant, fecit epipactidem. Adeò illi unum vocabulum potiùs, qvàm deſcriptionem & vires reſpexerunt. Matthiolus, ut reprehendi minùs poſſet, θαμνίσκον herbam transtulit, ne qvis τὸ θαμνοειδὲς, id eſt, fruticoſam in eâ, qvam ipſe depingit, naturam deſideraret. Elleborine qvidem dici potuit à facultate vomitoriâ, qvam fortè communem cum elleboro habet; nam & ſeſamoides magnum in Anticyrâ elleborum vocant propter ſimilem purgandi vim. Prodeſt autem commotus vomitus adverſus venena recenter ſumpta; & antidoti qvædam apud Galenum vomitoriæ leguntur, qvæ venenis reſiſtunt. Idem Gallus ille innominatus, de qvo ſuprà dixi, in ſecundâ Dioſcoridis ſui editione minimam gentianæ ſpeciem, ſed floribus maximis, cœruleis ferè, & in medio eorum calatho coloribus variis, tanqvam iris, inſignem, qvæ ab excellenti amaritudine nomen apud noſtros invenit, elleborinam interpretatur. Qvanqvam verò exigua ea herbula eſt, ut qvæ in montium jugis, ubi parum ſuppetit alimenti, ſiccis & frigidis locis naſcatur, folia tamen ad oleæ magnitudinem, ſæpe duplo, aut ampliùs majora habet, ut φυλλάρια ἐλάχιστα dici non mereantur.

Vene-

Venenis qvidem eam egregiè reſiſtere, ut & reliqvæ gentianæ, inter qvas amaritudine excellit, & jecori ex obſtructione laboranti ſuccurrere non dubitârim. Jam qvia hactenus, qvid non ſit epipactis, adverſus alios dixi; etſi mihi, qvid ſit, non ſatis conſtet, conjecturam tamen meam proponam, ejusmodi ſaltem, qvæ nusqvam in illis, de qvibus alios ipſe accuſavi, reprehendi poſſit, ut mihi perſvadeo. Ante annos XV. aut circiter, cùm Anglus qvidam ex Italiâ rediens me ſalutaret, (Turnerus is fuerit, Vir excellentis tum in re Medicâ, tum aliis plerisq; diſciplinis doctrinæ, an alius qvispiam, vix ſatis memini,) inter alias rariorum ſtirpium icones, qvas depingendas mihi commodabat, elleborinem qvoq; oſtendebat pictam, herbulam fruticoſam, pluribus ab unâ radice cauliculis, qvinq; ferè digitorum proceritate erectis, foliolis perexiguis, binis per intervalla, (ejusmodi, ut ex aſpectu genus qvoddam alſinæ exiguum videretur,) vaſculis in ſummo exiguis, rotundis tanqvam lini. Hanc ajebat creſcere in pratis ſiccis, vel clivis montium, inutili radice, ſubamarâ, purgare utrinq;, & in Angliâ vulgò uſurpari à ruſticis. Eandem apud nos etiam poſteà repertam mihi puto, non infreqventem; ſapore nitro-

nitroſo, ſed periculum ejus virium nondum feci. Hæc de epipactide, à Lunariâ minore Fuchſii digreſſus, qvam Itali qvidam epipactidem nominant, ad communem conſiderationem proponere volui, gratias illis acturus, qvi certiora docuerint, Anglis præſertim, apud qvos & hæc, de qvâ ſcripſi, ſive elleborine, ſive ſeſamoidis ſpecies, & ſeſamoides alterum coronopodis foliis, & alia qvædam nobis rara à Viris doctis noſcuntur. Redeo tamen, unde ſum digreſſus, nimiâ qvâdam hæc perſeqvendi voluptate.

Lunariæ minoris Fuchſii, (ut præſtantiſſimus Medicus Guil. Gratarolus ad me perſcripſit,) in montibus Rhætiæ transalpinæ circa Peſclavium, & alibi magna eſt copia. Vulgò autem compertum habetur, ſi jumentum, aut pecus partem herbæ comedat ſolam, qvæ uvæ botro aſſimilatur, non parum lædi; ſin etiam folia, nihil offendi. Hæc ille.

Eſt in Bernenſium agro Medicus qvidam Empiricus, planè illiteratus, ſed Medicinæ ſucceſſu, circa ulcera præſertim curanda, utcunq; inveterata, felix & peritus; de qvo amicus qvidam noſter, Vir doctus, hæc ad nos ſcripſit, qvæ priùs etiam ex famulo ejusdem Empirici cognoveram: Nominare eum

hanc

hanc herbulã clavem Diaboli (Tüfels Schlüſſel/) & affirmare, in ſemine vim veneni eſſe; id ſi vel eqvus, vel bos depaſcatur, mox intumeſcere & perire. Qvòd ſi ita affecto animali herba & folia ejusdem plantæ exhibeantur, venenum diſpelli, & liberari animal. Semen aperire ac reſerare meatus adeò vehementer, ut homini etiam periculoſum ſit, niſi folia ei conjungat, qvæ ſeminis venenum expellant; & hæc in venenorum curationibus ſæpe à ſe uſurpari. Magnam etiam radici vim ineſſe. Hanc veram eſſe Lunariam, & variis nominibus appellari. Idem (inqvit, qvi ad nos ſcripſit,) montani paſtores mihi referebant de ſemine ſuperiori apud Valeſios; res tamen experimento caret. Sed certum eſt, plurima huic herbæ vulgò tribui. Semen ſolidum non eſt, ſed pulvis qvidam luteus, qvalis etiã ſeminis herbæ, qvam Tragus inter muſci genera deſcribit, Germani pedem urſinum vocant, alii lupinum (unde lycopodii nomen Dodonæus finxit;) imperiti qvidam pharmacopolæ, (qvod & Matthiolus annotavit,) ſpicam Celticam. Ejus qvidem ſeminis pollen adverſus calculos renum nuper qvorundam experimentis commendari cœpit, è vino potus.

De Lunariâ majore, ſeu filice Lunariâ.

Hæc

HÆc herba (inqvit Remb. Dodonæus, qvi etiam iconem exhibuit hujus herbæ, nunqvam à me viſæ,) vulgò Herbariis noſtri temporis osmunda vocatur, nonnullis filicaſtrum, Chymiſtis Lunaria major, Brabantis Wildt Varen/ ende Sinte Criſtofels Cruit/ (hoc eſt, filix ſylveſtris, & S. Chriſtophori herba.) Eſt autem ſideritis altera Dioſcoridis.

Siteritidis ſpeciem illam, cui folia filici ſimilia Dioſcorides tribuit, Chymici & Herbarii qvidam Lunariam majorem appellant, aliqvi filicaſtrum, qvòd foliis & alis filicem omninò videatur imitari, binûm cubitorum, ramulis exilibus, folio filicis utrinqve diviſo, pediculo longo, prodeuntibus ex alarum ſinu ſurculis longis, tenuibus, capitulo in cacumine orbiculato, in qvo ſemen continetur, qvàm betæ, rotundius aliqvantò, ac durius. Ruellius. Eſt & alia in filicum genere herba, major & ſylveſtrior cæteris, rara inventu, flore candido copioſo, qvi circa Divi Joannis feſtum absqve ſemine defluit, cujus figuram & hiſtoriam Hier. Tragus dedit libro 1. cap. 186. Idem non filicis genus, ſed viciæ in dumetis naſcens, Os mundi appellat, & Germanicè S. Chriſtophori herbam, vel Schwartz Linſe/ hoc eſt, lentem nigram.

De

De Lunariâ Alpinâ.

LUnariam Alpinam nominat Ulyſſes Aldrovandus herbam qvandam, cujus ramulum aridum Bononiâ ad me miſit, in qvo flores, (roſeos fuiſſe conjicio,) non ſatis ampliùs apparebant, ſed pappi per corymbos in ramulo illo ternos digeſti, cum paſtillicantibus ſive bifurcis in medio barbulis aut ſtaminibus, relictis ex floribus, ſpecie omninò ſituqve, ut in eupatorio illo aqvatico, qvo pharmacopolæ qvidam hactenus pro eupatorio ſive vero, ſive Meſuæ uſi ſunt. Folia deciderant, præter ſuprema unum & alterum, qvæ erant parva, duos digitos longa, mucronata, eminentiis utrinqve paucis. Herbam ipſam ex ramulo ſatis proceram ad unum alterumve cubitum eſſe conjicio. Caulis vel cavus eſt, vel albâ medullâ plenus. Sed de hâc aliàs fortè cognoſcam pleniùs ex Aldrovando.

De Rore Solis.

ROs Solis in Angliâ vulgò appellatur hæc herbula, & rorem in foliis habere dicitur etiam in ipsô meridie, Sole eum non conſumente. Paſſim ajunt naſci locis incultis,

 ari-

aridis, ſabuloſis. Nuper amicus qvidam noſter, rei Medicæ ſtudioſus, Lutetiâ mihi attulit, illìc in muro qvodam ſibi repertam dicens, & à doctis nonnullis Lunariam appellatam. Tragus lib. 3. cap. 2. hanc ipſam, aut ſimilem cum muſci generibus pingere videtur. Remb. Dodonæus etiam poſt muſcos pinxit, & hæc verba adſcripſit: Ros Solis paſſim ab Herbariis, & in noſtratibus officinis (*inferioris & maritimæ Germaniæ,*) appellatur Teutonicè Sondauw ende Sindauw / (*hoc eſt, Solis Ros;*)

Ros;) nonnullis Loopichcruit/ (*cujus vocabuli ſignificationem non aſſeqvor.*) Aqva per alembicum deſtillata flaveſcit; datur phthiſicis, qvòd vires inſigniter reparare credatur. Non eſt paronychia. Hæc Dodonæus. Foliola ei ſunt hirſuta, lanugine in ambitu rubente. Memini, me aliqvando reperiſſe duarum ab urbe noſtrâ Tiguro horarum itinere juxta lacum, qvem à felibus denominant. Sunt, qvi generandi facultatem ejus uſu promoveri putent, eâdem fortè ratione, qvæ phthiſicis prodeſſe creditur, qvaſi, ut ipſa roris & humoris tenaciſſima eſt, ita nativum & genitalem corporibus noſtris humorem augere posſit. Artemilla, ſive ros Solis aureum colorem reddit deſtillata. Obſcurus.

De Torâ venenatâ.

TOram venenatam, (ſic enim cognomino, ut à Lunariâ minore diſtingvam,) aliqvi Lunariam vocant, ut Vir doctiſſimus Jo. Franciſcus Malvetius Veronenſis nobis asſeruit; fortè qvòd folium ei rotundum & orbiculare ſit inſtar Lunæ plenæ. Nec aliud aconitum primum Dioſcoridis eſſe dixerim, de qvo multa in Lupi hiſtoriâ ſcripſimus in libro de Qvadrupedibus viviparis, ubi congeneres

aconito herbas, occaſione lycoctoni, & toxica venena copioſisſimè deſcripſi. Nondum autem mihi conſtabat, qvòd ea herba, cujus hìc exhibemus iconem, (qvalem Alexander Peierus, amplisſimi Viri Scaphuſiani Conſulis Alexandri filius, olim diſcipulus noſter, nunc Medicus inſignis, Patavio veri aconiti pardalianchis nomine ad me miſit, à præſtantisſimo Profeſſore Patavino Gabriele Fallopio acceptam,) aconitum primum eſſet. Itaq; in hiſtoriâ Lupi paginâ 748. his verbis eam deſcripſi: Admonet me antora herbæ cujusdam raræ, qvam ſemel tantùm in monte qvodam alto Sabaudiæ reperi, ultra Lemannum lacum, è regione ferè Lauſannæ. Folium ei rotundum, planè circinatum, eâ ferè magnitudine, ut diameter duos pollices æqvet, in circuitu ſerratum, ſolidum, albicans, &, ſi benè memini, ſingulis plantis unicum. Florem non vidi. Radices ſunt albæ, glandibus aut olivis penè ſimiles, ut filipendulæ, guſtu fervido. Hæc nos illo in loco. Jo. Kentmannus etiam, qvem honoris gratiâ nomino, cum aliis compluribus pulcherrimis plantarum iconibus, toram qvoq; depictam mihi communicavit, folio ſimili, ſed tribus ab unâ radice, qvorum duo extrema minora ſunt, & absq; cauliculo, me-

dium majus eſt, & à principio ejus cauliculus enaſcitur, ut in noſtrâ icone; is etiam flore viduus, & parvum aliud folium mucronatum proferens. Radiculæ circiter decem, ceu napi qvidam exigui, ab uno omnes radicis capite vel initio oriri videntur, aliter qvàm in noſtrâ icone. Minores plantas omnes putârim ſingulari folio ſingulas conſtare; majoribus verò alterum prætereà, & tertium adnaſci, ex aliis nimirum radicibus adnatis. Hanc herbam Kentmannus ait ab Aloiſio Romano, (qvi Vir exqviſitâ harum rerum cognitione clarus, Patavii inſtructisſimo Medicorum horto præfectus eſt,) verum aconitum pardalianches judicari, reperiri in monte Baldo inter Patavium & Veronam; in qvo eandem herbam, toræ nomine vulgari, folio ſingulari provenire Guilielmus Grataroius Bergomenſis mihi aſſeruit. Non eſt igitur ampliùs dubitandum, qvin exhibita à nobis tora verum ſit aconitum primum, qvod multi hactenus fruſtrà inqviſiverunt. Ego ut ante annos qvindecim in hâc ſententiâ fui, cùm Catalogum plantarum qvadrilingvem ederem, ita nunc primus ejus effigiem publicavi. Matthioli Senenſis qvidem pro aconito primo delineata imago planè fictitia mihi videtur, ſive ipſe ad

Dioſco-

Dioſcoridis deſcriptionem confinxerit, ſive ab alio deceptus acceperit. Qvanqvam enim ipſe hoc aconitum primum ſæpè in Tridentinis montibus ſe legiſſe ſcribat; non tamen fidem apud me meretur radicis, qvam proponit, forma nimis ſanè artificioſa, nimiumqve σκορπιοειδὴς absq; ullis fibris, &c. Qvòd ſi herbam ipſam, qvam pingit, duobus aut tribus eruditis viris demonſtret, illorumq; teſtimonio eam nobis vel publicè approbet, palinodiam facilè meditabor, & inſuper gratias agam. Sin minùs, nolim tamen hanc unam ob cauſam utiliſſimo doctiſſimoq; ejus Operi authoritatis qvicqvam imminui, cùm icones ſtirpium cæteras plerasqve omnes & veras, & pulchrè ad vivum expreſſas contineat.

De torâ ex epiſtolâ doctiſſimi Viri Auguſtini Maynardi Itali, Clavennæ apud Rhætos Eccleſiaſtæ. Herba tora (Gesnere) apud Valdenſes in Alpibus Underflumen & Engroniâ oritur. Naſcitur cubitalis, (ut audivi ex his, qvi eam regionem inhabitant,) longitudinis, & etiam majoris. [*Hanc longitudinem vix puto convenire noſtræ toræ, ſed napello, qvem aliqvi ſimiliter toram vocitant.*] Venenum ex eâ lethale conficitur, qvo ſi gladius, aut ſpi-

culum, vel ſagitta infecta fuerint, & hominem vulneraverint, (mirabile dictu) niſi pars læſa ſubitò abſciſſa fuerit, ut neqveat ipſius veneni malignitas in reliqvum corpus ſerpere, totum ſangvinem ita corrumpit atq; coagulat, ut ſtatim occidat; nec ullo remedio aut medicamine (qvod ſciant,) vitæ ac ſaluti ſuccurri poteſt. Itaq; neceſſe eſt, eum, qvi percuſſus eſt, miſerè perire. Si verò aliud animal ſagittâ hujusmodi veneno intinctâ, verbi gratiâ urſus aut alia fera, percuſſum fuerit, bino aut trino ſaltu facto moriens cadit; cujus ſi edantur carnes, nihil nocent homini. Qvo datur intelligi, id venenum ſoli ſangvini eſſe inimicum. Nam & contrà veneno illi ſangvis ita inimicus eſt, ut ſi in ollam, ubi ſervatur venenum, ſangvis inciderit, venenum ſuam vim amittat, nec ampliùs nocere poſſit.

De eâdem ex epiſtolâ amici cujusdam, juvenis eruditi. Nactus ſum tandem Valdenſem qvendam, civem Genuenſem, qvi confirmavit, qvæ de aconito primo te fando accepiſſe ajebas, Geſnere, nimirum toram à ſuis Valdenſibus nominari; eâ ſagittas inſici. Nam illius herbæ radix ſervata aliqvamdiu in loco humido, poſteà contunditur; ubi contuſa fuerit, ſucco eo, qvi expreſſus fuerit,

ſagittæ

ſagittæ tinguntur. Qvàm verò promptum & præſens venenum herbæ illi inſit, ex eo cognoſces, qvod mihi narravit. Qvum (inqvit) aliqvando avunculus meus procul ſagittâ hujusmodi ſucco infectâ leviter urſum, eumq; vaſtum attigiſſet, cœpit urſus magno impetu per ſylvam ferri, & huc illuc diſcurrere, ita ut avunculum meum valdè perterrefaceret. Ideò locum editum conſcendit, ad qvem urſo non patebat via. Hinc qvum illum ſpectaret, vidit tandem, longis decurſis ſpatiis, concidentem, & vitam exhalantem, qvum nimirum venenum illud pervaſiſſet cor; illud enim, occiſo jam urſo, deprehendit ita eſſe.

Corollarium addam, de antitorâ nonnihil dicturus, præter ea, qvæ in noſtrâ de Lupo Philologiâ ſcripſi, ut alios etiam ad hujus nobilisſimæ herbæ, (qvæ ſola toræ, id eſt, aconito, invicto aliàs veneno, adverſari, ejusq; vim ſuperare creditur,) inqviſitionem excitem. Nullus enim noſtrâ memoriâ, ne ex illis qvidem, qvi ſtirpium hiſtoriam ex profeſſo tradiderunt, de eâ qvicqvam prodidit, tam celebri alioqvi, ut Ariſtotelis etiam ſeculo ex Galliis in Græciam fama ejus pervenerit, ut nos in Lupo abundè oſtendimus. Erit autem inventu facilior, cùm toræ ſit ſimilis,

foliis

ſoliis ſcilicet ſimiliter rotundis, ut ariſtolochiæ; minoribus, velut violæ, ſed rotundioribus & modicè inciſis. Flos ei ſubrubeus, (qvi in torâ benè violaceus eſt,) qvem aliqvi cyclamino comparant, etſi Arnoldus eam florere negavit. Radix olivarum nucleis ſimilis eſt, ſimiliter nimirum ut toræ. Naſcitur juxta toram in Alpibus Saluciarum & Pinarolii. Commendatur non ſolùm contra toram, ſed alia etiam multa venena, & adverſus peſtem ab Ant. Gainerio. Galli, qvi circa Alpes Italiæ finitimas habitant, anthulliam vocant, antholle ſuâ lingvâ. Nuper amicus qvidam ejus radicem, (qvam pro remedio contra calculos renum acceperat,) nobis obtulit. Ea longitudinem articuli in digito æqvat, ſolida, ſine nervo, foris ſubruffa, intus albicat, (alia qvædam, vitio fortasſis, intus nigricabat,) valdè amara, crasſitudine nuclei olivæ. Allatam dicebat de monte Cinis, ut vulgò vocant. Hoc etiam olim annotavi, Gallo qvodam dictante, neſcio qvàm verè, antoram tres in radice nodos habere, qvorum extremi ſint venenoſi, medius aliorum antipharmacum; guſtu dulcem eſſe, cùm illa, qvam ipſe guſtavi, peramara fuerit. Nodos qvidem in radice tales eſſe puto, qvales ſunt filipendulæ

vulgò

vulgò dictæ, qvam Arnoldus Villanovanus antoræ ſpeciem facit. Ego toto genere differre putârim; non enim ſtatim ejusdem generis ſpecies ſunt, qvæ aliqvam unius partis ſimilitudinem habent.

Veronæ toram vocari audio herbam, qvæ alibi à plerisq; eruditis napellus dicitur, noſtris Kappenblümen/ inter aconiti ſecundi genera; napellum verò ibidem aliam qvandam aconiti ſpeciem dici, oblongâ radice, albâ.

Sagitta illita ſucco napelli vel ellebori necat illicò. Qvòd ſi idem venenum exprimatur ſuper digitum modicè excoriatum, interimere conſtat, niſi ſuccurratur. Arnoldus Villanovanus.

Sunt, qvi in pratis montanis Lunariam ſuam effodiant, foliis (ut ajunt) meliloti, radice circumtextâ tunicâ qvâdam retiformi.

Fabam inverſam Jacobus Manlius Lunariam herbam appellat, & ſolanum ſomnificum interpretatur, ſed falsò; hiſtoria enim omninò repugnat.

COROL-

COROLLARIUM AD LIBELLUM *de rebus noctu ſplendentibus.*

VItuli marini oculi ſplendent, & ſubinde in mille colores, veluti hyænæ oculi, transeunt. Plinius.

Circa initium lacus Podamici oppidum eſt Brigantium, cui ſylva adjacet Brigantina, in qvâ martes reperiri audio noctu lucentes, unde nomen eis Germanicum impoſitum Liechtmarder vel Zündmarder; ſed noſtri pelliones nihil certi de iis habent. Splendent & oculi vulpis, ut audio, & ſi fortè vulpes manſveta domi infra gallinarum ſedilia fuerit alligata, obtutu ſuo ſplendoreq; adeò percellit gallinas, ut præ metu delapſæ in prædam ei veniant. Græci qvidem lampuron vel lampurin vulpem nominant, aliqvi vulpis genus caudâ albicante interpretantur. Nomen hoc à caudæ ſplendore factum apparet. Harengæ in Oceano Britannico denſiſſimis agminibus natant, & nocturno ſqvamarum ſplendore ipſæ piſcatoribus ſe produnt. Ferunt & oſtreorum veterum qvorundam teſtam ſuperiorem internâ ſui parte lucere per noctem.

De

De gemmis noctu lucentibus, vel aliter cum Lunâ communicantibus.

CHryſolampis in Æthiopiâ naſcitur, pallidi coloris die, & noctu ignei. Plinius.

Catharinam Angliæ Reginam Henrico VIII. nuptam, (& à Regis morte Thomæ Seymoro, maris præfecto,) gemmam in tenebris lucentem in annulo habuiſſe audio. Rubinum fuiſſe putant.

Circa Pallenen Thraciæ montem, ut author eſt Dionyſius Afer,

φύεται ἀστέριος καλὸς λίθος, οἷά τις ἀστὴρ
Μαρμαίρων, λυχνίς τε πυρὸς φλογὶ παμπαν ὁμοίη.

Aliàs λύχνις legitur paroxytonum maſculinum, & mox πυρὸς φλογὶ παμπάν ὅμοιος: hoc eſt,

Naſcitur aſterius pulcher lapis, & micat inſtar
Syderis, & lychnis ſimilis ſplendore lucernæ.

Ubi Euſtathius in Commentariis, lychnitem lapidem (inqvit) alii ſelenitem vocant, qvòd occultâ qvâdam vi cum Lunâ communicet, ſicut & electrum, qvod à Boryſthene cognominant, (ὁ βορυσθενίτης ἤλεκτρος,) de qvo antè ſcripſimus; & pariter cum illâ creſcit atq; decreſcit. Hæc Euſtathius. Scripſerat autem

autem paulò antè Poëta, circa oſtia fluviorum Aldeſci & Panticapis, in mare glaciale ſe exonerantium, naſci electrum:

Ἡδυφαὴς ἤλεκτρος ἀέξεται, οἷά τις αὐγὴ
Μήνης ἀρχομένης: qvod eſt,
Provenit electrum ſvavi ſplendore, ſuumq́;
Luce ſimul Lunæ damnum, incrementaq́; prodit.

Hìc Euſtathius electrum pro gemmâ aliqvâ intelligendum ait, non pro lachrymâ populi; (vulgò enim ſuccinum ejus arboris lachrymam eſſe credebant.) Qvam illius ſententiam ego non probârim; conſtat enim ex oris ad Septentrionem remotis electrum in alias regiones mitti, & electri gemmæ nullus, qvod ſciam, authorum meminit. Qvanqvam ſcio, eruditis qvibusdam lyncurion idem eſſe electro, qvod à multis imperitis lapis ex urinâ lyncis coalitus creditur. Succinum qvidem & ſplendidum eſſe conſtat, & ſympathiâ qvâdam affici ad Lunam fortè putarunt aliqvi, qvòd Lunari, id eſt, comitiali morbo adverſetur. Superiùs tamen, ubi Poëta Celtas dixerat circa oſtia Eridani

Δάκρυ' ἀμέργεσθαι χρυσαυγέος ἠλέκτροιο, *h. e.*
Electri lachrymas legere auricoloris; ——

Electrum (inqvit) hîc non ſignificat miſcelam ex auro & argento, (qvatuor auri portioni-

tionibus, argenti unâ,) ſed lapidem qvendam auricolorem, ex qvo manubria etiam cultrorum fiunt, à qvibus ita attrahuntur paleæ, ut à magnete ferrum. Qvòd autem non verè lapis ſit hoc electrum, ſed arboris lachryma in ſpeciem lapidis concreta, veterum qvidam tradiderunt. Hæc de electro, qvando & ipſum Lunaris qvidam ſuccus eſt, (nobis qvidem bituminis genus eſſe conſtat,) non temerè digreſſus dixerim. Sed plura de ſelenite addam, & lychnite, qvæ ad intelligenda veterum ſcripta, & horum lapidum cognoſcendam pleniùs naturam nonnihil conducant.

Selenites ex candido translucet, melleo fulgore, imaginem Lunæ continet, redditq; eam in dies ſingulos creſcentis minuentisq; numero, naſciq; putatur in Arabiâ. Plinius. Eadem Dioſcorides de ſelenite lapide; ſed candidum & translucidum facit, non mellei fulgoris, qvem Plinius & huic, & myrſinitæ tribuit gemmæ. Non igitur una gemma erit lychnites & ſelenites, ut Euſtathius putavit: ſed ſelenites ſpecularis eſt lapis; lychnites verò (inqvit Ge. Agricola) ardet (*igneo ſcilicet colore*,) qvæ & lychnis dicitur, qvòd ſimilis ſit flammæ lucernarum. Naſcitur in ſcopulis Pallenes, qvæ eſt peninſula Thraciæ,

 circa

circa Orthoſiam cautem, totâq; Cariâ, ac vicinis locis. Cæteris antecellit Indica, qvam qvidam, ut Plinius inqvit, remisſiorem carbunculum eſſe dixerunt. Hæc ille. Interpretatur autem Germanicè ein gilbichten Rubin/ id eſt, rubinum coloris pallidi vel gilvi. Sed candidum marmor etiam lychniten lapidem vocatum, qvòd ad lucernas effoderetur, tradidit Varro. Carbunculi gemmæ ſpecies eſt rubinus noſter, (inqvit Encelius,) qvem aliàs dicere poſſumus lychniten. Et Albertus teſtatur, carbunculum anthracem dici à Græcis, eumq; lucere in tenebris tanqvam carbonem, ſuperfusâ aqvâ limpidâ clarâ, in vaſe vitreo mundo, polito. Ge. Agricola aſterium, criſtalin, & opalum diverſis locis communi vocabulo Germanico interpretatur ein Weſe; aſtroiten verò ein Sigſtein &c.

INDEX
Rerum & verborum memorabilium in hoc Commentariolo.

A.

ACetabulum ſeu Cotyledon, *pag.* 41.
Aconitum primum ſive pardalianches verum eſt Tora venenata, *69. 72.*
Ælianus totus à Geſnero Latinè redditus, & cum textu Græco editus, 23. 24.
Æthiopis herba mirifica & magica, *31.* ubi naſcatur, *ibid.* deſcribitur, *ibid.* hydropicis utiliſſima eſt, *ibid.* ejus ſingulare folium qvale, 32.
Aglaophotis marina ſive aqvatica dicitur etiam Myrica marina, 23. 25. deſcribitur, 24. noctu ſcintillat, 25. noxium ſtillat venenum, *ib.* hoc qvando augeatur, & unde gigni putetur, *ibid.* eodem devorato canes marini extingvuntur, *ibid.* ex his poſteà colligitur venenum ſecundarium, *ibid.*
Aglaophotis terreſtris, Cynoſpaſtus qvoq; & Baaras appellata, qvomodo notetur, & evellatur, 26. primus, qvi attigit eam, periit, *ibid.* remedium eſt adverſus comitia-

mitialem morbum, & oculorum vitium, *ibid.* unde nomen habeat, & ubi proveniat, 27. refertur à Plinio inter herbas magicas, *ib.*
Ἀιγωπὸς color, 10.
Alabaſtri, calyces roſarum, 24.
Albanus mons noctu ardere viſus, 22.
Aldeſcus fluvius ubi ſe exoneret, 80.
Aldrovandi encomium, 32. 46. 51.
Algæ ſeu fuci genus qvoddam deſcribitur, 24. eſt Aglaophotis ſeu Myrica marina, 23.
Aliſma ſeu Damaſonion herba, 61.
Aloiſius Romanus laudatur, 72.
Alyſſon herba, 54.
Ammonius interpretatur locum qvendam claſſicum Ariſtotelis, 5.
Anagniæ ſervo tunica arſit, nullo relicto flammæ veſtigio, 22.
Androſæmon herba, 35.
Animalia lucida, 5. 6. 7. 8. 9. 10. 78.
Animalium qvorundam oculi cur noctu, qvàm interdiu, acutiùs cernant, 8.
Anthullia ſive Antholle, 76.
Antidoti vomitoriæ, 61.
Antiperiſtaſis, 13. 15. 20. 21.
Antora ſive Antitora herba, 75. ſola adverſatur Toræ, *ibid.* nec non aliis venenis, & ipſi peſti, 76. qvàm celebris fuerit Ariſtotelis ſeculo, 75. de-

75. deſcribitur, 76. ubi naſcatur, *ibid.* ejus radix remedium habetur contra calculos renum, *ib.*

Aphroſelenus lapis ex ſpumâ Lunæ videtur concretus, 53. 53. dicitur etiam Selenites, 52. & Specularis lapis, 53.

Aproxis herba concipit ignes è longinqvo, ut Naphtha, 29. eâ florente qvid fiat, *ibid.*

Aqva divina ſeu cœleſtis, 11.

Area meteoron, *ibid.*

Argemone herba, 39.

Argonautæ, 19.

Arianis herba colore ignea ubi gignatur, & qvando colligatur, 29. eâ accenduntur ligna oleo peruncta, *ibid.*

Ariciæ puer flammâ comprehenſus, nec ambuſtus, 22.

Ariſtolochia herba, 76.

Ariſtoteles defenditur contra Vallam, 15. ejus locus lib. II. de Animâ cap. VII. explicatur, 5.6.

Artemilla dicitur Ros Solis, 69. qvalē colorem reddat deſtillata, *ibid.*

Arthritica Alpina, 46.

Artis opera nonnulla noctu oſtendunt lucem, 4.5.10.

Aſcanio ſive Iulo arſit caput ſine læſione, 18. qvid ſignificaverit, *ibid.*

Aſphaltites lacus, 28.

Aſphaltus bitumen non niſi menſtruo ſanguine disjungi

 dici-

dicitur, 28. ubi abundet, *ibid.*
Aſterion herba, 39.
Aſterius lapis micans, 79. ubi naſcatur, *ib.*
Auricula urſi, herba, 46.
Aurum potulentum, 11.

B.

BAaras radix ſeu herba fulgens, aliàs Aglaophotis dicta, ubi gignatur, 27. evellitur duplici modo, 28. creditur abigere dæmonia, *ib.* unde denominetur, & qvare, 29.
Benedicti Martini elogium, 48.
Biſſola fuogola, vel luſarvola, 10.
Bolbonac ſive Bulbonac herba, 48. 50.
Βορυσθενίτης ἤλεκτρος, 79.
Βοτάνιον θαμνοειδὲς, 58.
Bubonion herba, 39.

C.

CAndela ardens qvid 21.
Canes marini, 8. 25.
Caniculæ, aliaqve animalia marina qvid faciant in æſtu æſtivo, 24.
Canis extrahit herbam venenatam, 26. 28. qvo facto moritur, *ibid.* ſecretisqve ceremoniis ſepelitur, & qvare, 26.
Capra cornibus ardentibus per urbem Romam ducta, 22.
Caprarum oculi in tenebris ſplendent, 9. 10.
Carbunculus gemma

noctu

nocte rutilans, 8. dicitur à Græcis anthrax, & qvare, 82.
Caſtor & Pollux pro Diis habiti & invocati à nautis, 14. vocantur Tyndaridæ, & Tyndarei fratres, 17. 19. qvomodo efficti fuerint, 18. 19.
Caſtores ſtellæ ubi exiſtant, 13. ſolitariæ pernicioſæ ſunt, 14. appellanturqve Helena, 17. ſed geminæ ſalutares, 14. & qvare, 16. apparuerunt in Lyſandri nave, 17.
Catharina Angliæ Regina gemmam habuit in tenebris lucentem, 79. qvibus nupta fuerit, *ibid.*
Chelidonion, 34. 36.
Chenomychos herba, qvalis ſit, & unde dicatur, 32.
Chryſolampis gemma noctu lucens, 79.
Chymiſtæ qvid Lunariæ tribuant, 34. 35. argenti aurive ex aliis metallis mutationem qværunt, 36. omnium morborũ ſanationem promittunt, 37. Hippocratem & Galenum alioſqve contemnunt, *ibid.* acriter perſtringuntur, 35. 36. 37. 38.
Chymiſtica ars habet egregia qvædam & utilia, 38.
Cicindela vocatur pygolampis, 10.
Ciconia grata eſt pro beneficio, 7.
Clavis Diaboli, herba, 64. ejusdem ſemen venenoſum, *ibid.* hoc devorato eqv9, vel

vel bos perit, *ibid.* qvomodo liberari & ſervari poſſit, *ib.*
Cœlum ac terra nocte ardere viſa, 22.
Colores, niſi interdiu, videri neqveunt, 5.
Colores ſanguinei, meteoron, 12.
Colorata in lumine videntur, 6.
Comitialis morbi cauſa refertur ad Lunam, & qvare, 33.
Compitalia Laribus inſtituta, 18.
Concii homo acie ex ſpeculo ortâ combuſtus, 22.
Conſiligo herba qvalis, 60. falsò nominatur Elleborine, *ib.*
Cornu in tenebris cernitur, 5.
Cotonaria, 32.
Crux Grammaticorum, 4.
Curtius mercator Lindavienſis, ejusqve hortus laudantur, 55.
Cyclaminus herba, 76.
Cynoſpaſtus, *vid.* Aglaophotis terreſtris.

D.

DÆmonia creduntur abigi herbis Baaras, 28. Stellâ terræ, 33. Lunariâ, 35. & Holithâ, 38.
Delphini cernunt acutiſſimè, 8.
Διαφανὲς dicitur Specularis lapis, 53.
Dictamnus herba, 55.
Dionyſius Afer explicatur, 79. 80.
Dioſcoridis locus qvidam minùs rectè vertitur à Matthiolo, 52. alius verò rectiùs, 61.

Do-

Dodonæi error. 60.
Dorycnium herba, 34.

E.

ELectrum non eſt lapis, neqve lachryma populi arboris, ſed bituminis genus, 80. ubi colligatur, *ibid.* creſcit ac decreſcit cum Lunâ, 79. 80 adverſatur lunari ſive comitiali morbo, 80. attrahit paleas, ut Magnes ferrum, 81.
Elleborine herba vocatur aliàs Epipactis, de qvâ mox.
Elleborum duplex eſt, nigrum & album, 60. purgandi vim habet, 61.
Empiricus qvidam illiteratus, ſed in medendo felix, 47. 63.
Epipactis deſcribitur à Dioſcoride, 57. 58. & à Plinio, 59. à qvo tamen ineptiſſimè inter peregrinos, Italiæqve ignotos frutices refertur, *ibid.* utiliſſima eſt jecoris vitiis, & contra venena, 57. 58. 59. dicitur etiam Elleborine, *ibid.* non refert elleborum nigrum, 60. non eſt conſiligo, aut alia ellebori nigri ſpecies, *ibid.* neqve gentiana minima, 61. vera ejus deſcriptio, 62. ubi creſcere ſoleat, *ibid.*
Eqvi glaucis ſeu vitreis oculis noctu vident, 9.
Eqvorum auribus cur adhæreant ignita meteora, 20. eorum

pili qvando micent, 13.
Erice herba prodeſt contra ſerpentes, 59.
Erinaceus qvare non concurrat cum vulpe, 15.
Eupatorium herba, 67.
Euſtathius notatur, 80. 81.
Exhalationum natura, 20.

F.

FAba inverſa, 77. falsò à Jac. Manlio appellatur Lunaria herba, & Solanum ſomnificum, & qvare, *ibid.*
Fabaria herba, 47.
Fallopii encomium, 71.
Fatuus propriè dicitur de cibo, metaphoricè autem etiam de homine, 19.
Fatui & inſulſi diſcrimen, *ibid.*
Fatuus ignis, *vid.* Ignis fatuus.
Felium oculi cur noctu luceant, 9. earum pili qvando ſcintillent, 13.
Filicaſtrum, 66.
Filipendula, 76. non eſt ſpecies Antoræ, contra Arn. Villanovanum, & qvare, 77.
Filix Lunaria, 64.
Filix ſylveſtris, 66.
Filicis genus aliud, *ibid.* deſcribitur, *ibid.*
Flamma, ex bovis ore ad forum Eſii nata, ipſum non læſit, 22.
Flamma alia in æde Larum penetravit innoxia, *ibid.*
Flammulenta aliqva naturam ætheris & qvinti elementi participant, 7. aërem proximum illuminant

nant

nant noctu, *ibid.* cur item non interdiu, *ibid.*
Flittern/ 48.
Flüblümle/ 43.
Folium montanum, *ib.*
Fovea meteoron, 12.
Foreri laus, 55.
Frutex odoratus qvalis, 43. perperam à qvibusdam uſurpatur pro xylobalſamo, *ibid.*
Fumaria meliùs dicitur *βοτάνιον θαμνοειδὲς* à Dioſcoride, qvàm *θαμνίσκος*, & qvare, 58.
Fungus in tenebris cernitur, 5.
Fuxa, 32.

G.

GAllus qvidam, Dioſcoridis editor, reprehenditur, 59, 60.
Gemmæ lucidæ, 5. 7. 8. 79. 80.
Gemul, 32.
Genitale maſculini ſexus apparuit ex cinere, 18.
Gentianæ ſpecies minima deſcribitur, 61. naſcitur in jugis montium, *ibid.* excellit amaritudine, reſiſtit venenis, ſuccurritq; jecoris obſtructioni, 62.
Gilbichter Rubin/ 82.
Glauci herba, 39.
Goriſſa, 34.
Granum Gnidium gignitur ex thymelæâ, 59.
Gylippo ſtella ſuper lanceam conſtitit, 16.

H.

HAlitus pingues vel bituminoſi, & ex iis ignes, 12.

Haren-

Harengæ oculi noctu lucidi, 8. produnt ſe piſcatoribus, 78.
Helena ignis exitialis, 17. fugatur adventu Caſtoris & Pollucis, 14.
Herbæ qvædam qvomodo noctu luceant, 11. 12.
Hernioſorum medicina, 41.
Hiatus meteoron, 12.
Hippocampus, ſive eqvus marinus creditur herbâ qvâdam venenosâ paſci, 25. ejus ventriculus qvalis, *ibid.*
Holitha herba ubi naſcatur, 38. ſpiritus malignos repellere narratur, *ibid.*
Hyæna noctu cernit, 9. 78.
Hyoſcyamus herba qvomodo eruatur, 27.
Hypericon, 35.
Hyſſopus ſuffrutex, aut rectiùs θαμνίσκος, 58.

I.

ICones V. herbarum, nempe Lunariæ arthriticæ, 44. Lunariæ Græcæ, 49. Lunariæ majoris, ſive Osmundæ, 65. Roris Solis, 68. & Toræ venenatæ, 70.
Ignes, qvi ſæpè animalia inſtar fulminum feriunt, 16.
Ignes cœleſtes leviter veſtimenta aduſſerunt, 21.
Ignis in Circo inter pila militum fuſus, 22.
Ignis Vitoduri in vertice templi bis viſus ſine detrimento, 22. 23.
Ignis in tenebris & luce videtur, 6. & qva-

qvare, *ibid.* remotior tamen ad conſpectum ſui vix ſufficit, 7.
Ignis fatuus, 19. 20. definitur, 21.
Ignis præcedens & ſeqvens dicitur idem ignis fatuus, 20. item Caſtor & Pollux, 14. 20. ubi fiat, & figatur, 14. 15. non inconditur & oritur propriè ex concurſu duarum qvalitatum contrariarum, contra Milichium, *ibid.*
Ignis lambens capita, aut ſimpliciter lambens, id eſt, non urens, 17. 20. apparuit in Servio Tullo, & Aſcanio ſive Iulo, 17. 18.
Induſium ſcintillans & crepitans, 13. ejusdem ratio, *ibid.*
Inſulſus differt à fatuo, 19.
Inſcriptio ſive Epigramma in monumento Patavino, 10.
Inſcriptio altera in eodem, 11.
Iris meteoron, *ibid.*
Juliana herba, 43.

K.

Kappenblümen / 77.
Kentmannus, ejusqve Obſervationes botanicæ commendantur, 50.
Klein Monkraut / 56.

L.

Ampuros vel lampuris vulpes, 78. ita dicitur à caudæ ſplendore, *ibid.*
Lapillus noctu lucens in Heracleidis ſinum à ciconiâ dejectus, 7.

Leuchte.

Liechtmarder / 78.
Ligna putrida noctu lucent, 12,
Lingua ſive Lingulaca herba, 47.
Loopſcheruit / 69.
Lucerna per multos annos arſit, 11.
Lucerna piſcis non ſolùm vivus noctù lucet, ſed ejus mortui etiam oculi, 8.
Lucentia in tenebris videntur, 6.
Lumen majus interdiu obfuſcat minus, *ibid.*
Lumina ardentia plerumqve apparent in cœmeteriis, ſub patibulis, in locis humidis, viſcoſis atqve paluſtribus, & qvare, 12. 20. 21.
Luna nocte & die conſpicitur, 6. ejus ſpuma ſeu humor qvando colligatur, & qvid efficiat, 33.
Lunatici qvinam dicantur, *ibid.*
Lunaria herba videtur fictitia, 3. portentoſè deſcribitur à Chymiſtis, 34. 35. aliter ab aliis, 38. 39. ejus tres aliæ deſcriptiones, 39. 40. ubi provenire dicatur illa, 39. qvando colligenda ſit, 34. creſcit ac decreſcit cum Lunâ, 34. 40.
Lunaria craſſula deſcribitur, 40. ubi inveniatur, 41. medetur hernioſis, 41. 42. eſt duplex, minor & major, *ibid.* hujus deſcriptio, 42.
Lunariæ aliæ non lucentes noctu, *ibid.*
Lunaria arthritica, 41. 43. variè nominatur, 43. 46. ubi reperi-

periatur, *ibid.* deſcribitur, 45. qvid præſtet, 45. 46. vivaciſſima eſt in hortis, nec facilè perit, & qvare, 46. Chirurgi cujusdam ſtulta opinio de eâdem, *ibid.* hujus icon, 44.

Lunaria Græca, 48. ejus nomina, ſemina, ſiliqvæ noctu lucentes, flores & folia, 48. 50. 51. nec non icon, 49. remedium ex eâ adverſus comitialem morbum, 52.

Lunaria odorata, ſive Græca major ubi naſcatur, 51. deſcribitur, *ibid.*

Lunaria alia, 54. ejus folia, caulis, ſiliqvæ, membrana, & ſemina, *ibid.*

Lunaria petræa, ſeu Lunaria minor Fuchſii deſcribitur, 55. 56. ubi naſcatur, & qvando reperiatur, 56. hujus virtutes & variæ appellationes, 56. ſeqq. ſed augmentum & decrementum ejus fabuloſum, 57. ubi freqvens ſit, 57. 63. hujus partem ſolam ſi jumentum comedat, læditur; ſin etiam folia, nihil, 63. ſemen ejus qvale ſit, & qvid efficiat, 64. hæc vera eſt Lunaria, *ibid.*

Lunaria major, ſeu filix Lunaria deſcribitur, 66. ejus nomenclatura varia, *ibid.* & icon, 65.

Lunaria Alpina, 67. hujus ramulus aridus deſcribitur, *ibid.*

Luna-

Lunaris herba deſcribitur, 39. utenti promittit annos Lunares, *ibid.*

Lupi noctu vident, 9.

Lux qvædam, qvæ noctu duntaxat luceat, non ignea eſt, ſed ætherea, 4. 5. 12. hanc qvæ contineant, 5. 12.

Lux nocte fulſit in Galliâ in caſtris, 22.

Lycopodium herba, 64.

Lychnis ſive Lychnites lapis, 79. 81. non eſt idem cum Selenite, contra Euſtathium, *ibid.* ubi naſcatur, *ibid.* antecellit Indica, diciturq; Carbunculus remiſſior, 82.

Lyncurion non eſt lapis ex lyncis urinâ coalitus, 80.

M.

MAlvetii laus, 69.

Marmaritis herba, 27. qvare ita dicatur, *ibid.*

Martes noctu lucentes, 78. ubi reperiantur, *ibid.*

Marthagon herba, 34. Italis qvalis, 35.

Martio, duci Romano, concionanti flamma micuit à vertice, 19.

Matthiolus Senenſis refellitur, 52. 60. 72. ejus Opus botanicum commendatur, 73.

Merois herba, 31.

Meteora qvædam vel die inter nubes, vel noctu in ſummo aëre ſpectantur, 11. 12.

Meynardi encomium, 73.

Milichii verba in locum

cum qvendam Plinii corriguntur, 14. 15.
Milvus piſcis, 8.
Monrauten/ 56.
Morbi, qvos ſanati iterum ſentiunt, florente Aproxi, 29.
Morſus Diaboli, herba, 43. cur ita nominetur, *ibid.*
Motionis natura, 16.
Muſtelli piſces marini, 8.
Myrica marina, 23. 25.
Myrſinita gemma, 81.

N.

NApellus herba vocatur qvibusdam Tora, 73 hujus ſucco illita ſagitta illicò necat, 77. ſic etiam, qvando venenum exprimatur ſuper digitum modicè excoriatum, *ibid.* Veronæ dicitur alia qvædam aconiti ſpecies Napellus, *ib.*
Naphtha bitumen concipit ignem è longinqvo, 29.
Nitedula vocatur Pygolampis, 10.
Noctilucæ, parva animalia ſive vermes, 6. 9.
Noctuæ, aves nocturnæ. 9.
Noctu lucentia varia, 4. *ſeqq.*
Nyctegretum herba qvalis, 32. qvando eruatur, & qvomodo ſiccetur, *ibid.* ejus in Magiâ uſus, *ib.* variè nominatur, *ib.*
Nyctilops herba qvalis, & unde dicta ſit, 32.
Nymphæ, calyces roſarum, 24.

O.

OCriſia, gravida facta miro modo, genuit Servium Tullum VI. Regem Rom. 18.
Oculi, qvi clariſſimè cernant, 10.
Ὀινωπὸς color, *ibid.*
Ollingeri elogium, 48.
Opos Æliano papaver nigrum, 27. qvomodo evellatur, *ib.*
Ophiogloſſum herba, 47.
Orphei cantu pacatum fuit mare, 19.
Osmunda herba, 66. Trago viciæ genꝰ Os mundi dicitur, *ibid.*
Oſtreorum teſta ſuperior lucet per noctem, 78.

P.

PÆonia mas deſcribitur, 55. Mompelii appellatur Lunaria major, *ibid.* ubi naſcatur, *ibid.* non eſt herba illa, cujus radix hactenus pro dictamno in uſu fuit, contra Tragum & Dodonæum, *ibid.*
Pæonia fœmina, 55.
Pallene Thraciæ peninſula, 81. aut etiam mons in illâ, 79.
Pancynicus, 25.
Panticapes fluvius, ubi ſe exoneret, 80.
Parelius meteoron, 11.
Paronychia herba, 41. 69.
Peieri encomium, 71.
Penninckbloemen/ 48.
Patavinum monumentum, 10.
Patavinus Medicorum hortus laudatur, 72.
Perforata major, 35.
Pes urſinus vel lupinus, herba, 64.

Phi-

Philoſophorum lapis, 11.36.
Phrygius lapis qvalis fuerit Juliano Cæſari, 53. alius, 54.
Pici herba qvalis, 30. hâc ſeras reſerari, adactumqve illius avis nido cuneum exſilire, vulgò credunt, ſed falsò, 30. 31.
Pila in caſtris Romanorum ardere viſa ſunt, 16.
Piſcium capita, ſqvamæ & oculi in tenebris cernuntur, 5.
Plantæ lucidæ, *ibid.*
Plinius explicatur, 13. 14. refutatur, 58. 59.
Pneuma qvid, 11.
Πολυδεύκεες ſunt Caſtor & Pollux fratres, 14.
Portulaca, 35.
Potamautis herba, 29.
Ποταμαύγις fluviatilis ſplendor, 30.
Primula veris, 46.
Prodigia XI. de igne, flammâ & luce ex Julio Obſeqvente, nec non unum Vitodurenſe, 21. 22. 23.
Promethei herbæ deſcriptio fictitia, 4.
Pygolampis qvid ſit, qvomodo aliàs vocetur, 10. & fulgeat, 5. 10. 12.

Q.

QVædam in aëre relucent ſive reverà, ſive apparenter, 4. 5.
Qvinta eſſentia rerum, 11. Chymiſtarum, 36.
Qvintum elementũ, 7.

R.

ROs Solis, herba, 67. ejus rorem in foliis, etiam in ipſo meridie,

die, non conſumit Sol, *ibid.* ubi naſcatur, 67. 68. 69. qvomodo prætereà appelletur, 68. 69. illius aqva datur phthiſicis, & qvare, 69. generandi virtutem promovere putatur, ob eandem rationem, *ibid.* foliola ejus deſcribuntur, *ibid.* hujus icon, 68.

S.

S. Chriſtophori herba, Sinte Criſtofels Cruit/ 66.
Salvia vitæ, 41.
Sangvis menſtruus qvid præſtet, 28.
Sanicula ſecunda, 46. ejus ſucco bonus in muliebri facie color promittitur, *ibid.* deſcribitur, 47. ubi naſcatur, *ibid.* prodeſt ad enterocelas, & thoracis aliaqve vulnera, *ibid.*
Saniculæ Alpinæ ſive guttatæ deſcriptio, 47.
Sapaon, 32.
Schwarze Linſe/ 66.
Scythicus latex, 11.
Σελάχη, piſcium genus, à cute noctu ſplendente ſic dictum, 8.
Selenites lapis qvalis ſit, & unde dicatur, 52. 81. ubi naſcatur, *ibid.* liberat epilepticos, 52. eum pro amuleto ſibi alligant mulieres, & qvare, *ibid.* appenſus arboribus earum fœcunditatem creditur augere, *ibid.* eſt Specularis lapis, non Lychnites, 81.
Selenitis herba, 33.

Σελή-

Σελήνη herba, ubi proveniat, 33.
Serpentina herba qvalis, 42. ubi oriatur, *ibid.* remedium eſt adverſus coli & inteſtinorum dolores, *ibid.*
Serpillū ſuffrutex, aut rectiùs θαμνίσκος, 58.
Servius Tullus ex ancilla natus, creditusq; eſt Laris familiaris filius, 18. ejus dormientis caput arſit, 17. 18. qvid portenderit, 18.
Seſamoides magnum, 61. habet vim purgandi, *ibid.*
Seſamoides alterum, 63.
Seſelis genus qvoddam, 57. eo guſtato vaccæ incitantur ad libidinem, *ibid.*
Sideritis herba, 66.
Sigſtein/ 82.
Siler montanum, 57.
Sol nocte non videtur, ſed neqve per diem rectè, & qvare, 6.
Solanum ſomnificum, 77.
Solaris lapis appellatur Solis oculus, 8. ejus figura, *ibid.*
Sondauw ende Sindauw/ 68.
Soſigenes rationem reddit, cur qvædam in tenebris refulgeant, 7.
Specularia unde primùm facta ſint, 54.
Specularis lapis à ſpeculo dicitur, & cur, 53. varia ejus nomina, 50. 53.
Σφεκλάριον vocabulo corrupto nominatur idem Specularis lapis, 53.

Spica Celtica, 64.
Splendida qvæ appellentur, 5.
Splendores nocturni arte facti, 10.
Sqvamæ parùm & obſcurè ſplendent, 5.
Stella terræ, herba qvalis, 33. ceu ſpectrum maleficum fugâ declinatur, ibid. mira ei tribuuntur, ibid.
Stella terræ dicitur etiam Specularis lapis, & qvare, 50.
Stellæ Caſtores, vid. Caſtores ſtellæ.
Stellæ qvædam nocte & die apparent, 6.
Stierlekrut/ 57.
Succinum, vid. Electrum.

T.

TAnaqvil Regina augutiorum perita, 18.
TarqviniusPriſcus, Rex Rom. inſtituit primus Compitalia, ib.
Thalaſſegle, herba lucens & venenoſa, ubi inveniatur, 29. vocatur aliàs Potamautis, ibid. qvâ potâ lymphantur homines, ibid.
Θαλασσαίγλη, marinus ſplendor, 30.
Θαμνίσκος Dioſcoridis interpretandus eſt herba fruticoſa, non ſuffrutex, 58.
Theophraſtus Paracelſus culpatur, 36.
Thymelæa ſuffrutex non eſt peregrinus in Italià, contra Plinium, 59.
Thymus ſuffrutex, aut rectiùs θαμνίσκος, 58.
Tora vel Taura qvalis herba, 57. hâc degu-

ſtatâ

ſtatâ vaccæ reqvirunt taurum, unde etiam nomen habet, *ibid.*
Tora venenata potiùs dicenda Dora, 57. qvam ob cauſam, *ib.* appellatur qvibusdã Lunaria, & cur, 69. Veronæ dicitur Napellus, 77. ejus duplex deſcriptio, 71. 72. eſt aconitum primum & pardalianches verũ, 72. icon illius vera, 70. ſed falſa & fictitia in Matthioli Opere botanico, 72. ubi reperiatur, 71. longitudo ejus, ſed non conveniens, 73. hujus herbæ ſucco venenoſo inficiuntur ſagittæ, 57. 74. 75. qvibus ſi percuſſus fuerit homo aut animal, ſtatim moritur, 74. affertur exemplum, 75. carnes tamen ejusmodi animalis non nocent, & qvare, 74. veneno illi qvomodo ſangvis inimicus ſit, *ibid.*
Tüfels Abbiß / 43.
Tüfels Schlüſſel / 64.
Turneri laus, 62.
Tyndaridæ, ſive Tyndarei fratres, 17. 19.

V.

VAlla Literator potiùs, qvàm Philoſophus, 15.
Verbaſcum, 46.
Vermis noctu fulgens clariſſimè, 10.
Veſper ſtella noctu & interdiu ſplendet, 6.
Videndi ratio interdiu eſt eadem, non verò noctu, 9. hæc non fit per luminis receptio-

ceptio-

ceptionem, ſed emiſſionem, *ibid.*
Viola, 76.
Viola latifolia, 48.
Virgilii ænigma ex Eclogâ III. 3. de eodem Grammaticis anxiè qværentibus qvid reſponderit, 4.
Virgula divina improbatur, 36.
Viſibilia differunt dupliciter, 5.
Vituli marini oculi ſplendent, 78.
Ungventum adverſus combuſtionem ab igne, & ramicem puerorum, 42.
Ungventum empiricũ ad varia ulcera utcunq; inveterata, 47
Unſer Frouwen Yß/ 53.
Volucris in Hercyniâ, 9. ejus pennæ noctu ut ignis lucent, *ibid.*
Vomitus prodeſt adverſus venena recenter ſumpta, 61.
Upupæ herba qvalis, 30. eâ uſus eſt qvidam ad reſignandos theſauros, *ibid.*
Urna fictilis reperta Patavii, 10. intra hanc urnula alia, 11.
Vulpis oculi ſplendent, & percellunt gallinas, 78.

W.

Weſe/ 82.
Wildt Baren/ 66.

X.

Xylobalſamum. 43.

Z.

Zetæ vel hypocauſta, 12.
Zündmarder/ 78.

FINIS.